NOVA GIGANTO-MACHIA,

Contra Sacram Imaginem Deiparæ Virginis à Sancto Luca depictam,

Et In Monte Claro Częstochouiensi

Apud Religiosos Patres Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, in celeberrimo Regni Poloniæ Cœnobio collocatam,

Per Suecos & alios Hæreticos

 excitata,

ET

Ad perpetuam beneficiorum Gloriosæ Deiparæ Virginis recordationem, successuræ posteritati fideliter conscripta

A

R. P. Fr. *AVGVSTINO KORDECKI* *prædicti Ordinis, protunc Clari Montis Priore.*

Anno Domini, M.DC.LV.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cæsarij, S.R.M. Typ.



AD

Serenissimum ac Potentissimum

JOANNEM CASIMIRVM

Dei Gratiâ

REGEM POLONIARVM,
Magnum Ducem Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ,
Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Czerniechouiæ,

Necnon

Suecorum, Gottorum, Vandalorumque
REGEM hæreditarium.

Dominum Nostrum Clementissimum.

REuiuiscentis opè Matris viuentium ideam Tibi præsentamus REX POTENTISSIME: vt quemadmodum repentino inopinati hostis assultu, calamitosè prostratam vehementèr

 doluisti;

doluisti; sic gaudeas maximè, contra peruersorum consiliorum viriumque superbarum molimina, præter communem finitimarum nationū expectationem, diuinitùs ab extremo interitu vindicatam. Non magnoperè inuidenda est in Orbe Christiano sors maximorum Principum, qui, vel ciere possunt plurium Regnorum nomina sceptris suis obtemperantium, vel innumerabilem exercitus multitudinem, inaccessa propugnaculorum munimenta, sexigarum reuolutionis, capaces murorum latitudines, impenetrabilibus rupium fastigijs arces cœlo porrectas, ostentare. Tua hæc est singularis IOANNES CASIMIRE gloria, quòd illi praees populo, quem Supremus Vniuersi Dominus, admirandâ dexteræ suæ potentiâ, contra quosuis hostium ausus, tuetur ac propugnat; quòd Regnum id moderaris, cuius Gloriosissima Cœlorū terræq; Imperatrix Deipara, dici se Reginam gloriatur, & arcem sui Principatus in Monte Claro cōstituit. Non immeritò profectò omnes Christi, ac Deiparæ Virginis cultores, nationi Polonæ ab immanitate hostium seruatæ, epos illud Sancti Regis occinant: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus*

populus quem elegit in hæreditatem sibi. Si quando, certè nunc in Polonia, suscitauit Deus antiqua potentiæ miracula, quæ olim ad defensionem gentis electæ à Madianitis oppressæ, per manus Gedeonis exhibuerat. Inuasit superbiâ elatus Carolus Gustauus Regnum Sueciæ, vsurpata per Ordines electione, graui veri hæredis, ac Regum suorum Parentum legitimi Successoris iniuriâ; nec exsaturata dominandi cupiditate, pertractis in sententiam quibusdam Machiauelli & Caluini asseclis, inuasit vtramque Poloniam, induciarum fide securam, nullo secundùm iura gentium feciali præmisso, ad denunciandam offensi animi bellique suscepti causam. Infudit se in Regnum Catholicâ Religione florentissimū, multitudo gentium monstrosa, variarum Hæresum labe contaminatarum. Suecorū, Finnorum, Germanorum, Pomeranorum, Scotorum, Cassubiorum, Zingarorum, Silesiorum, Vngarorum, Bohemorū, Iudæorum, Pruthenorum, & quod rei caput est, ciuium quorundam viperino morsu Patriam enecare parantium. Exulare & alienis sedibus hærere coacti, Summi Ecclesiæ Reique publicæ Principes, digitis plebeculæ sortem Patriæ no-

)o(strae

ſtræ miſerantis, ac ludibrijs inſultantis Hæreſeos expoſiti. Dirutæ Arces, euerſæ Vrbes, Nobiles compedibus adſtricti, imbellis ætas & ſexus, ferro, carceribus, vel fœda ſeruitute abſumpti. Templa ſacrilegijs contaminata, confracta ſacræ ſupellectilis vaſa, aræ ſubrutæ, Sacræ Imagines eiectæ, confoſſæ, igni datæ; Corpus Chriſti Domini Sacratiſſimum terrâ diſiectum & conculcatum, monumenta mortuorum reſerata, excuſſa cadauera, Miniſtri altaris torti, trucidati, patibulis affixi. Omne quod ſuggeſſit furibunda licentia, perpetratum. Fumabant Sanctarum ædium tecta, in fauillis quærebantur pagorum veſtigia, aduerſis pectoribus iacebant per agros corpora Nobilium, nullâ culpâ, niſi quòd Polona. Quid tum faceret Polonus! Clamauit ad Dominum, poſtulans auxilium. Et quàm bene precatus olim Angelus Domini Gedeoni: *Dominus tecum Virorum fortiſſime, vade in hac fortitudine, & liberabis Iſrael de manu Madian.* Tàm felici euentu Tibi REX POTENTISSIME, benedictionem impertiuit Maximus exercituum Domini Angelus ALEXANDER VII. Pontifex Optimus, & Summus Eccleſiæ Catholicæ Nauarchus.

chus.

chus. Porrò quemadmodum non priùs ſe ad pugnam Gedeon accinxit, quàm diuinitùs obtinuiſſet ſignum præſentaneæ victoriæ, Vellus rore cœleſti madidum; ita demùm bono animo iuêre in hoſtem Poloni, quando Vellere Gedeonis Mater Virgo adumbrata, incendia Montis Clari extinxit, & rorem vigoris pugnatorum animis inſtillauit. Gaude iſto tam perſpicuo Diuinæ benignitatis in Poloniam ſymbolo, & non dubio Deiparæ, cui Te, Tuumque Regnum, piâ Religione obſtrinxiſti, patrocinio REX POTENTISSIME; atque hac cœlitùs data fortitudine, proſequere optatam victoriam, de ipſis inferni portis triumphaturus, ſi hoſtem nomini Mariano infenſiſſimum, ac in Regno Tuo Religionem Orthodoxam euerſum iri ſuperbâ voce detonantem Hæreſim debellaueris. Viuat feliciſſimè Beatiſſimus Dominus Apoſtolicus ALEXANDER VII. & deuotam ſibi Poloniam Paterno fauore proſequatur. Viuat IOANNES CASIMIRVS Inuictiſſimus Rex Noſter, Eccleſiæ Dei pius & ſtrenuus Propugnator. Viuant generoſa Militum Polonorum pectora, & Sanctæ Sedis Romanæ honorem & autorita-

 torita-

toritatem ſtudio indefeſſo, & inuictâ virtute tueantur. Ruat impia in baratrum Hæreſis, publicæ pacis ruina, & ſecuritatis Ciuium proditrix. Accipe Sacrum hoc victoriarum Omen (quòd Mons Clarus ſtetit inexpugnabilis beneficio Deiparæ) REX POTENTISSIME, quod vt in proſperrimos exeat ſucceſſus, Altiſſimæ Maieſtati vota ſupplices nuncupabimus; & nos fideles ac deuotos clientes, ſolita Clementia protege ac defende.

S. Regiæ Maieſtatis Veſtræ

Humillimus Exorator

& Seruus

Fr. Pr. Auguſtinus Kordecki, Ordinis FF. S. Pauli Primi Eremitæ, Prouincialis. Suo & totius Conuentus Clari Montis Czeſtochouienſis nomine.

AD LECTO-

AD LECTOREM.

EST in Polonia Minore, Diœceſis Cracouienſis, Mons Czeſtochouienſis, quem Maiores Clarum *dixerunt, quòd iucundum, vſquequàque molli decliuitate Viatoribus aſpectum exhibeat, leui faſtigio in verticem, à ſolidâ rupe aſſurgens. Eius denominationis celebritatem, auxerunt inſignia miracula, quibus ibi corruſcat Imago Deiparæ Virginis, à Sancto Luca depicta, in Menſa Cupreſſina, ad quam* IESVS *Filius Dei Matri ſuæ dulciſſimæ & Sancto Ioſepho Nutritio, in Domo Nazarenâ conueſci ſolebat. Eam Hieroſolymis Conſtantinopolim, & inde in Ruſſiam tranſlatam, Leo Dux Ruſſiæ in Caſtro Belzenſi depoſuerat, & poſt quingentos circiter annos, Vladiſlaus Dux Oppolienſis, Anno Domini, 1382. tunc Prorex Poloniæ hic collocauit, grandi & non ineleganti Baſilica educta, & Monaſterio exædificato, Patribuſque Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ, ſub Regula Sancti Auguſtini militantibus, ex Vngaria vocatis attribuit. Cùm autem Omnipotenti Deo placuiſſet, ſingularibus benignitatis ſuæ fauoribus, & gratijs locum illuſtrare, atque ad colendam ſuæ Matris Imaginem, maximis beneficijs Catholicorum pietatem inuitare, cœpit non ab Incolis Regni duntaxat, verùm etiã à finitimis & longinquis nationibus, Roxolanis, Lituanis, Samogittis, Boruſſis, Caſſubijs, Croatis, Dalmatis, Liuonibus, Vngaris, Dacis, Moldauis, Albanis, Morauis, Sileſijs, Bohemis,*

Saxonibus, pia visitatione, & donarijs Regum, Principum, Ducum, Antistitum, Senatorum, Nobilium populariumué frequentari. Atque vt pretiosum depositum Sacræ Imaginis, à quo tot Dei beneficiorum in suos Cultores thesauri promerentur, securiùs ab hostium deprædatione, quæ iam ante à Zysca Bohemo Hussita, Anno Dñi, 1430. Loco Sacro contigerat, seruaretur; Templum & Monasterium muro, qui sumptibus Religiosorum magna iam ex parte steterat, pià & heroicà liberalitate cinxit, & propugnaculis muniuit VLADISLAVS Quartus Rex Poloniarum Inuictissimus. Quo tempore & Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Matthias Lubienski, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, ac Primus Princeps, atrium Sacelli, in quo primitùs Sacra Imago fuit collocata, magnifico sumptu ampliauit, & in formam Basilicæ reduxit. Carolus Gustauus Rex Sueciæ, cùm Anno Domini 1655. Poloniam vtramque inuasisset, & omnes Regni ditiones populatus, Ecclesiarum Sacram supellectilem, & thesauros compilàsset vniuersos, indignum ratus, si Monasterium Czestochouiense, immune à direptione sui exercitus stetisset, misit cum magno Copiarum agmine Millerum Militiæ Præfectum, ad illud expugnandum: Cuius oppugnationis seriem hic lege, ac Magnæ Cœlorum Terræque Imperatrici Deiparæ Virgini in Monte Claro, de peruicacibus Hæreseon conatibus, & sacrilegis ausibus triumphanti, mirandorum Dei operum Spectator venerabundus applaude.

APPROBATIO.

QVÆ Serpentis Infernalis superbum contriuit caput, eadem Augustissima Virgo & Mater Dei, impia Suecorum & aliorum Acatholicorum arma in excidium Regni Poloniæ, Catholicæq; Religionis insolenter sublata, ad Clarum Częstochouiæ Montem felicissimè confregit, hostem Sacræ gazæ auarè inhiantem ignominiâ saturatum, gloriosissimè repressit. Quod insigne Virginis Deiparæ in Poloniam beneficium, & Defensorum in Serenissimum IOANNEM CASIMIRVM, Poloniæ & Sueciæ Regem, Orthodoxũ (hunc enim titulum à Summo Ecclesiæ Pastore ALEXANDRO VII. meruit pijssimus Princeps) præclara & constans fides, vt Orbi palàm fiat, & ad posteritatis memoriam transmittatur. Adm̃. R. P. Augustinus Kordecki, protunc Claromontani Cœnobij Prior, seriè Oppugnati ac Defensi Clari Montis fideliter connotata adlaborauit, cuius pium studium dignum prælo iudicaui, 20. Octob. Anno Domini, 1657.

Hyacinthus Liberius, S. T. D. Præpositus Ecclesiæ SS. Corporis Christi Canonicorum Regularium, Librorum in Diœcesi Crac. Censor.



NOVA GIGANTOMACHIA IN CLARO MONTE CZĘSTOCHOVIENSI.

CVm DEVS Opt: Max. vindicem peccatorum gladium, contra Poloniæ Regnũ exerere decreuiſſet, prædictionibus & præſagijs futuræ correptionis præmonitos incolas ad conuerſionem excitans, permiſit: vt præter prodigia multa cælo terrâq; nata, ſacræ Numinis ædes media hyeme fulminum ictibus fatiſcerent, & in locis pluribus de cœlo tactæ turres corruerent; inter quas eminens Montis Clari, alto ſuperba & diues faſtigio, fortuito incendio conflagrauit, Anno Domini, 1654. die decima Februarij. Sed & illud è cœlo portentum ſtupentes mortalium animos exter-

Signa præcedentia irruptionem Suecorum.

ruit maximè, quod Anno eodem die nona Iunij, in facie Solis occidentis apparuit. Super nasum Solis visa est Crux in cor conuerti, quod cum gladio transfixum declinans in partem faciei Solis sinistram, stetit sub oculo. Sub altero autem faciei solaris oculo, visa est armata manus pomum tenens, quod de manu per oculum in frontem se attollens, in quatuor partes est diuisum, ac super orbem Solis ascendens, in virgam conuersum.



Anno igitur sequenti, Flagellum Dei contra Polonos erupit ab Aquilone, Carolus Gustauus Rex Suecorum

electus, (nam illud Regnum ad IOANNEM CASIMIRVM, Regem Poloniarum, iure successionis pertinuit) & occupatâ Maiori Poloniâ, in Minorem transiturus, ordinauerat primùm, exercitus parte cum Radzieiouio præmissâ, Monasterium Częstochouiense inuadere; ratus opportunum thesauris & sacra supellectili Częstochouiensis Basilicæ, copiarum vires augere, quò ad oppugnandam Regni Metropolim Cracouiam formidabilior accederet, ac interceptis finitimis Arcibus, & sufficientibus Præsidijs munitis, nullum metuens periculum, aut Regno facilius potiretur, aut per Regnum sibi tutiùs grassandi faceret accessum.

Sueci ab inuasione Monasterij auertuntur.

Dum hæc Sueci Calissij agitant consilia, intentos eorum euentus, ingruens Polonorum exercitus perturbauit, fecitque hosti necessitatem aliò diuertendi, & ansam porrexit occupandi primùm Colum, Łanciciam, Łouicium, Varsauiam. Tandem vbi Cracouiam irrupit Suecus, animum ad destinatum flectens propositum, tria millia lectorum Equitum Częstochouiam versus direxit. Sed neque hæc prosperum exitum sortita est expeditio; Gustauus namque famâ de aduentante Quartianorum exercitu acceptâ, Cracouiâ mouit, ac vniuersas secum duxit copias, Præsidio ad propugnandam Metropolim relicto. Postquam verò rebus cum Regni Ducibus Corcinij compositis, Varsauiam peruenit, Præfectũ mili-

 tiæ, vt

tiæ, vt vocant, Generalem Millerum cum parte copiarum misit, vt Częstochouiense Monasterium in suam redactum potestatem, Præsidio firmaret.

Comes à Wrzescżewicż primus aggreditur Częstochouiam.

Præcepit mandatum Ioannes Veihardus, Comes à Wrzesczewicz, & Gustauo gratificaturus præcucurrit, copijsque sub Monasterium ex improuiso adductis, circa noctis medium horâ ferè decimâ, insolito clangore tubarum ad terrorem excitato, aures ascetarum perculit vehementer, misitque confestim legatos, qui nunciarent Religiosis. postquam se totum Regnum, Sueciæ Regi submisit, se huc missum, vt ij quoque Monasterium suæ traderent potestati; secus facturis, graue periculum minitarentur, & extremam cladem, quam repugnantes suæ voluntati, subire deberent à quatuor millibus militum, quos ad murum mox esset applicitururus, atque omnes Monasterij Possessiones in fauillam versurus. Negantibus constanter accessum Religiosis, fauorem erga Locum Sacrum furori obtendens, in crastinum diem negotium distulit.

Expostulant Religiosi cum Comite de inuasione Monasterij.

Inclarescente igitur die, miserunt Religiosi ad Comitem de medio sui Patres, Fratrem Benedictum Iaraczewski, & Fratrem Marcellinum Tomicki, qui nomine Conuentus exponerent: se mirari vehementèr, & prorsus ignorare, quid causæ sit? quod Dominus Catholicus, contra Locum Sacrum, cuius non multò ante protector eximius & patronus munificus extitisset, hostilem induerit animum: portasque nocte intempestâ Monasterij, ad horribilem tubarum sonum sibi aperiri mandauerit. Orare Patres omnes, & obtestari per fidem Catholicam sacraque omnia, vt se ab hostili perturbatione liberos, pacatæ vitæ studijs, iuxta Religiosum institutum vacare permitteret: & ea fide atque beneuolentiâ, quam ante semper experti fuissent, sub alis protectricibus patroni sui singularis quiescere liceret indemnes & intrepidos.

Suadet deditionem Comes.

Non latet (inquit ille) *vos boni Patres, quo animo semper erga Locum hunc Sacrum, & vestram Congregationem, vestrûmque singulos fuerim; quâ fide & constantiâ patrocinatus, quibusue beneficijs prosecutus, nihil in præsens attinet dicere. Igitur sic vobis de me velim persuadeatis, nihil omnino præsenti rerum tempestate, temporisq. vicissitudine, de meo erga vos studio & beneuolentia vsitata diminutum. Amicus etiam nunc venio, non hostis. Monasterium vestrum fidei meæ intrepidi permittite; ita enim tempus & rerum status suadet, vt optata quiete potiamini, & Religiosâ securitate gaudeatis. Integram vobis rei sacræ supellectilem, necnon bona & possessiones vestras illæsas fore strenuè polliceor: mihi ipse necessarios sumptus, quin vobis etiam prouidebo ac suppeditabo. Considerate itaque diligenter, quantum operæ pretium feceritis, si votis obsecuti meis, potestatis meæ volueritis esse Monasterium: prospexeritis prudenter, ne vos grauior tempestas obruat, ab impendente*

pendente iam iam exercitu Milleri, Præfecti Militiæ, hominis heterodoxi, cuius iussa tantò vobis instant duriora, quantò ab Orthodoxa Religione remotior est. Ferendum erit necessariò, quidquid rigidior exactor sciuerit; & tandem vos serò, magno cum animi corporisq; dolore, spreti pacatioris consilij pœnitebit.

Deliberant Religiosi, faciendane sit deditio Comiti.

Permouit non mediocriter Religiosos recens memoria beneficiorum Comitis, & futuri pollicitatio fauoris: tamen quò minùs obsecundaretur suasui suo, insultus hesternus frequentior, feruenter occupans Religiosorum animos, obstitit, firmosque tenuit in sententia defendendi Monasterij: motos præsertim alienis periculis, quorum spem vafer, & inconstans promissor Suecus elusit. Concordibus igitur omniū calculis, conclusum est: *In hoste nihil non esse timendum.* Deinde, honoris ergò, à Nobilitate, quæ tum fugiens furorem bellicum in Monasterio degebat, petito consilio, quid & illa in hoc casu faciendum censeret? G. D. Stephanus Zamoyski, Ensifer Siradiensis, vir prudens, & magni animi, ac in arte militari paucis conferendus, omnem penitus hæsitationem ex mentibus deliberantium exclusit, sic locutus:

Dissuadet deditionem Zamoscius.

Vestrî agitur causa PP. Reuerendi: pensatâ ergo potentiâ hostilis exercitus, & vestra ad resistendum ei facultate, iuxta vires & munitionis apparatum, propriam sequimini voluntatem. Certè nos quia hic peregrini sumus, ægrè consilijs vestris lumen afferre possumus: attamen

tamen quia à vestris Reuerentijs sumus requisiti, quid faciendum sentiamus? dum nulla vrget necessitas, absit, vt obediamus hostis voluntati: turpe enim & iniquum est, ignominiosâ deditione incertam pacem ab hoste perfido postulare. Sponte huc & amore Loci Sacri, sub Gloriosissimæ Deiparæ præsidium, cum Coniugibus & liberis charissimis confugimus; fide proinde constanti decretum nobis est, vobiscum Patres Religiosissimi viuere, vobiscum, si ita Deus voluerit, mori potiùs, quàm vllam fœdæ seruitutis legem acceptare, vel Sacrorum contaminationem intueri. Profectò Magna Superni Numinis Parens, quæ nobis indidit desiderium sui honoris, aduersus impias Hæreticorum blasphemias defendendi, aderit pijs suorum Clientum conatibus, & iustæ defensionis progressus secundabit.

Mittuntur iterum ijdem Patres, qui pristinâ in memoriam reuocatâ consuetudine Comiti, & rei quam postulabat enucleatâ indignitate, rogarent à proposito desisteret, vel tantisper vellet supersedere, dum quid facto sit opus in tam arduo negotio, Patres, qui à Superiorum voluntate per omnia penderent, ab Admodum Reuerendo Patre Prouinciali, (fungebatur autem Officio Prouincialatus Admodum R. P. Theophilus Bronowski, Vir præclarè de Ordine meritus, & tum in Silesia in Conuentu Glogouiensi sui Ordinis morabatur) declaratum haberent. Redeunt Patres, oleum & operam in emol-

liendo

liendo feroci pectore se perdidisse questi: promitque alter illorum chartam, cum conditionibus deditionis à Comite descriptis, quibus nisi Patres obtemperarent, in Villas eorum flammis se grassaturum minitatus est. Tenor earum is:

Offeruntur Conditiones deditionis.

Hodie Nona Nouembris Transactio facta cum Illustrißimo Domino, D. Joanne Veihardo, S. R. I. Comite ab Wrzesczewicz, Sacræ Regiæ Maiestatis Suecorum à Consilijs, Status & belli Supremo Generali, Vigiliarum Præfecto, & Colonello Equestris & Pedestris legionis ex vna: & nomine Serenißimi & Potentißimi Principis ac Domini, D. Caroli Gustaui, Suecorum, Gottorum, Vandalorum, &c. &c. Regis, Domini sui Clementißimi. Et ex parte alterâ cum Admodum Reuerendis, Priore, Suppriore, cæterisq; Patribus, & toto Conuentu Czestochouiensi, siue Clari Montis. Et ea transactio ab vtraq; parte in omnibus clausulis & punctis Sacrosanctè obseruari fide Sancta & inuiolabili promissa. Et est de verbo ad verbum taliter:

1. *Clarus Mons vnà cum Monasterio, fortalitijs, propugnaculis, se subdit in fidem Comitis Sacræ Regiæ Maiestatis Suecorum, Sacramq; Regiam Maiestatem pro Protectore suo Clementissimo veneratur.*

2. *Omnes Religiosi quotquot sunt, à primo ad vltimum,*

timum, fide Sacerdotali & Religiosâ iurant, & promittunt Sacræ Regiæ Maiestati Suecorum Carolo Gustauo fidelitatem, respectum & obedientiam, renuntiantq; omnibus confœderationibus, conspirationibus, compromissionibus, transactionibus Regis IOANNIS CASIMIRI, ipsiusq; addictis.

3. *Conuentus recipit in Gubernatorem fortalitij & præsidij prædictum Comitem à Wrzesczewicz: cui etiam eiusq; Officialibus Maioribus atque Minoribus, omnem fidelitatem, & honestam cointelligentiam, respectum, & respectiuè obedientiam, quoad militaria pollicentur.*

4. *Præsidium recipient, numerum militum constantem, nullumq; maius modò, & nullo alio tempore, nisi extremâ necessitate imponetur.*

5. *Omnia tormenta, pulueres, cæterasq; munitiones, quo nomine illæ appellentur, prædicto Comiti, cum certo specificato regestro extradentur, & sub pœna vitæ, à Patribus nihil in hac materia celabitur, etiam omnia loca subterranea, quæ fortalitio nociua essent, prædicto Comiti aut eius locum tenenti monstrabuntur sub eadem pœna.*

6. *Milites omnes, quos habent, siue haidones, siue alios, statim licentiabunt, nullumq; militem, siue palàm, siue clàm, sine expressa Comitis, aut eius locum tenentis licentia in Monasterio sustentabunt, habebunt, aut alent.*

7. *Abrenunciant omnibus correſpondentijs cum inimicis Sacræ Regiæ Maieſtatis Suecorum, ſiue literis, ſiue verbis, ſiue quibuſcunque modis poteſt fieri, & ſacroſanctè pollicentur omnia ea, quæ ipſis innotuerint, in damnum Sacræ Regiæ Maieſtatis Suecorum fieri, tempeſtiuè reuelare, & ijs malis cum omni ſua potentia & firma fidelitate obuiam ire.*

8. *Et vltimò in gratitudinem prædictæ tranſactionis, prædicti Patres & Conuentus, promittunt ſe prænominato Comiti & Generali ſummam in tali tempore paratam exſoluere.*

E contra Comes ſupra nominatus promittit nomine Sereniſſimi & Potentiſſimi Caroli Guſtaui, Suecorum, Vandalorum, &c. &c. Regis, Reuerendis Patribus totiq; Conuentui, &c. &c.

Reſpondent Religioſi. Breuiter ad hæc à Patribus reſponſum: *Religioſos, qui ſe votis Deo ſingulariter adſtrinxiſſent, ad mentem profani hominis iurare, ſacrilegum eſſe: loca Diuino cultui conſecrata, hæretica prauitate contemerare impium: ſibi deſtinatum eſſe boneſtè potiùs occumbere, quàm impiè viuere. Proinde minetur quæ nolint Patres D. Comes; certè quæ vult, non facient vnquam.* *Incenduntur domus ad S. Barbaram.* Excanduit Pſeudo-Catholicus, & mox flammis ædificio, Templo S. Barbaræ proximo iniectis, citato curſu, indignabundus Krepicium tetendit, bino trinoué tormentorum ictu depulſus. Inde quarto abhinc die, ſubmiſſis Krepicenſis Præſidij copijs, irruptione factâ in bona

Monaſterij, armentorum & pecorum abegit ampliùs quadringenta. Deinde furore minimè remiſſo, Millero, qui tum ex Siradienſi Palatinatu in Pruſſiam expeditionem ordinabat, obuiam procurrit, ſuadens maturandam oppugnationem Monaſterij. *Comes Millerum ad aggrediendum Monaſterium inuitat.* Nec difficilem præbuit aurem, homini ſcilicet Catholico, Caluinianæ ſuperſtitionis aſſecla, præſertim diuitias Monaſterij iactanti, & reconditorum inibi depoſitorum Nobilitatis opulentiam venditantis facilè ſe ad expilationem theſauri ſpe augendi exercitus in Pruſſiam, tam facundâ perſuaſione trahi permiſit.

Miſerat interea Conuentus duos ex Patribus Cracouiam ad Vitembergium, Summum Militiæ Suecicæ Marſchalcum, ſpecie quidem literarum ſecuritatis obtinendarum; re autem ipſa, quid ille de ſuo Monaſterio faciendum apud ſe conſtituiſſet explorandi: eam ob rem potiſſimùm illuc miſſi, rectè Alemanorum callentes idioma. *Mittuntur Patres ad Witembergium, mentem eius exploraturi.* Hi ſub idem tempus redeuntes nuntiârunt: ſecuritatis literas Monaſterio dari, non ægrè tuliſſe Vitembergium, imò mandâſſe Cancellariæ Præfecto, vt eas quamprimùm conſignari faceret, ad diſpoſitionem vlteriorem circa illud. Quæ reſponſio, quanquam anxium iam ante de munimine Monaſterij Superiorem, magis ſolicitum reddidit. Itaque conſilio cum Patribus omnibus communicato, & rogata ſententia ſingulorum,

 poſtquam

postquam eadem omnium ſtetiſſet voluntas, ad defendendum Monaſterium imperterrita, re Domino Deo, & Beatiſſimæ Virginis Matris patrocinio, in cuius tutela peculiari eſſet locus, commendatâ, omnem cogitationem vertit ad reſiſtendum hoſti, modumque, qui tum videbatur magis idoneus, nequaquam putauit omittendum.

Impedimenta defendendi Monaſterii tolluntur.

Erant ad læuam deſcenſus Montis Clari, complures inſtitoriæ tabernæ, per longum tractim ad mœnia propugnaculi porrectæ, in quibus proſtabant multa venalia, quæ ad augendam facerent pietatem Catholicorum, & peregrinorum, locum miraculis illuſtrem viſitantium: vt pote, Sacræ Imagines, Grana precatoria, Libri, & id genus cætera. Eas, quia commodum præſtare poterant hoſti ſub mœnia inſultum, præfatus Superior demoliri iubet. Nec parſum vicinioribus ad radicem Montis, ob eandem cauſam ædificijs: copias peditũ exercitatorum auget. Supplicem libellum offert Sereniſſimo Poloniarum Regi IOANNI CASIMIRO, qui tum ad Ducatum Opolienſem cogendi exercitus cauſa ſeceſſerat; nam hoſtium potentiâ exterritâ Nobilitas, tempeſtates exoſa belli, ſpe pacis & ſecuritatis à Sueco ineſcata Martio ſtridori, qualem qualem tranquillitatẽ præferens, in domos dilapſa, eidem magna ex parte adhæſerat, Verùm in tam celeri hoſtium curſu, non poterant à Rege auxiliares ſperari ſuppetiæ, hoſtium numero

Supplices libelli mittuntur variis.

numero vel viribus pares. Scribit Illuſtri Domino Stephano Czarniecki, Caſtellano Kiouienſi, qui omnium maximè ſubſidio venturus Sacro Monti credebatur, quòd ſtatiua copiarum in vicino Ducatu Seuerienſi teneret; niſi excedens Cracouiâ, fidem ante Sueco dediſſet, ſe contra illum intra tempus conſtitutum arma non ſumpturum. Scribit & inſignioribus hoſtilis exercitus Præfectis, præcipuè Comiti à Wrzeſczewicz; cui etiam Imaginis Claromontanæ Deiparæ Ectypum in ære affabre depictæ miſſum eſt, vt ſi gratiâ Religioſorum, quibus ſuam hactenus teſtatus eſſet amicitiam, à cæptis animum auocare nollet, daret ſaltem honori Deiparæ mitiora conſilia, cuius ſe beneficio ſeruatum in Monte Claro ampliſſimis fuiſſet donarijs conteſtatus. Scripſit & Sadouio, Suecorum Regis, vt vocant, Colonello, orans, ne perditum ire vellet Locum Sacrum, Regum & Ducum non intra Patriam modò degentium; verùm etiam Principum externorum, pietate & votis inſignem, peregrinationibus & ſupplicationibus Bohemorum, Morauorum, Sileſiorum, & vicinorum quorumque, ad Sclauonicam Dialectum pertinentium, celebrem. Modeſtior is & benignior rebus Catholicorum, quamuis à dogmatibus eſſet Lutheri, literis perlectis, hoc Patribus ad ſe miſſis dedit voce conſilium in partem accerſitis: *Suſtinenda vobis, ô Patres, ingruentis belli moles, ita tamen, ne aliqua irritatio-*

Scribitur ipſimet Comiti & Sadouio.

Reſpondet Sadouius PP. ad Supplicem libellum.

ritatione vestra hostis ferocior euadat; tractando potiùs, nunc has, nunc illas deditionis conditiones proponite, donec placituræ vobis offerantur. Millero deinde suasit, vt alium quempiam loco sui pro Monasterij oppugnatione surrogaret. *Quæ enim* (aiebat) *laus fuerit, Monasterium expugnâsse, cuius virtuti maiora olim cessissent munimenta! quod si Monachi superiores euaserint, quantam labem seræ posteritate nomini tuo asperseris, qui ab imbelli turba superatus fueris?* At Comes à Wrzesczewicz, munere, prece, demissione Religiosa nihilo placatior, non superbiâ minùs, quàm blasphemiâ turgidus, ad literas Illustrissimi D. Stanislai Warszycki, Castellani Cracouiensis, Senatoris Regni Primarij, ab impio facinore se dehortanti respondit: *Eat nunc, si placet, D. Castellaneus, & Locum Sacrum illum, pro sua pietate defendat; en adest Regius exercitus, &c.* Nullam occasionem prætermisit vnquam Loci Sacri, & augendi decoribus, & à maleuolorum conatibus defendendi, primarius hic subselliorum sæcularium in Republicâ Polonâ Senator, ita tunc maximè opportunum ratus homini Catholico persuadere, vt à sacrilegâ Montis Deiparæ, honori pridem consecrati, oppugnatione supersederet: non imprudenter æstimans, suæ dignitatis authoritatem plurimùm momenti habituram apud eum, qui beneficio salisfodinarum Veliciensium, quas tenuerat, Polonis esset obstrictus: ac quod rei caput est, singu-laris

Idem dissuadet Millero, ne accedat Monasteriũ.

Tumidum responsum Comitis ad literas D. Castellanei Cracouiensis.

D. Castellaneus Crac. de Loco Sancto solicitus.

laris & beneficus olim Montis Clari Patronus extitisset, donarijs præcipuis cultum Sacræ Imaginis contestatus. Pluribus idem tum argumentis testatus est erga Diuam Claromontanam cultus sui feruorem, vt quòd pro Religiosorum armentis, ab hostili exercitu abactis, lytrum miserit florenos trecentos, & duodecim maiora tormenta Monasterio subministrauerit, ad resistendum hostili potentiæ; ne Sacer Locus Hæreticorum impietate contaminaretur. Hoc certè laudi maximæ ipsius accenseri debet, quòd curam Loci Sacri, iam iam in manu hostium periclitantis, quâ licuit via, sustinuerit. Veniunt interim ex Vielunensi Conuentu Pr. Hiacynthus Rudnicki, eiusdem Ordinis Professus, & breui post, G. D. Michaël Chlebowski, qui nuntiant, Millerum cum nouem millibus copiarum, & maioribus tormentis 19. & reliquo apparatu bellico, Vielunio Częstochouiam versus mouisse, cum auxiliaribus turmis Comitis à Wrzesczewicz, Venceslai Sadowski, Ducis Hassiæ, & duorum ex Polonis, vt vocant, Coloneilorum, certò certiùs die 18. præsentis huc peruenturum.

Nuntiatur aduentus Milleri ad Clarum Montem.

Titubare cæperant eo nuntio animi nonnullorum non bene fidentium, domesticis viribus, aduersus hostem militari arte diu exercitatum, & ferè subactâ Poloniâ fortuna benigniore insolentem ac superbum: cùm præsertim P. Prior Vielunensis, vires Monasterij non pares fore, ad reprimendam vim ho-stium,

Claromontani turbati aduentu hostis, à Superiore animantur.

ſtium, æſtimans, qualis qualis pacis media potiùs ſuſtinenda ſuaderet, quàm ancipitis Martis euentui aleam committendam, ne prætermiſſorum tractatuum deditionis, ſerò tandem totum Conuentum pœnitere deberet. Verùm Clari Montis Superior, poſtquam omnem cogitationem, curamque ad propugnandum gratiarum Dei, & Regni Poloniæ Sacrarium, locum plurimis & maximis inclytum miraculis, contuliſſet; imperterrito animo ſuſcepti propoſiti, Fratres admonuit; ſuaſitque, vt propugnando vitam deuouerent Virginis Deiparæ honori, quæ tot tantaque beneficia, hinc in gentem Polonam, largâ clementiâ effundit: memores & fidentes, non minùs Clientibus & excubitoribus ſuis, in tanta neceſſitate fore propitiam.

Hoſtis acceſſit, & obſedit Monaſterium.

Itaque die 18. Nouembris, omnes Patres Congregationis Religioſæ, ac quotquot ſæculares diuerterant ad Diuinæ propitiationis aſylum, conuocat: Miſſæ ſolenni ad Aram Beatiſſimæ Virginis vt adſint, deuotè hortatur; Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, circa muros & propugnacula, publicè cum ſupplicationibus ferri iubet; tormenta, bombardas maiores, minoreſque, globos plumbeos & ferreos, pulueris pyrij vaſa benedicit, & vt intrepidi hoſtem præſtolentur, diuiſis antè defenſionis officijs, animosè monet. Ecce horâ ſecundâ ferè pomeridianâ, glomerantur agmina hoſtium: quibus ad radicem Montis Clari,

tis Clari, è regione Monaſterij venientibus, Præfectus Maior Millerus, literas ad Patres, & alios tunc in Monaſterio morantes, per ſubditum Conuentus, de Villa Lgota, tenoris ſequentis præmiſit.

Scribit Millerus Religioſis.

Admodum Reuerendi ac Nobiliſſimi Patres, cæteriq; Arcis ac Monaſterij Czeſtochouiæ Inhabitatores, Domini & Amici honorandi.

Dominationibus Veſtris, cum ſignificatione officiorum & beneuolentiæ teſtatum facio. Cùm S. R. Maieſtas Sueciæ, Dominus meus Clementiſſimus, de rebellium quorundam in Maiori Polonia conatibus, certos accepiſſet nuntios, quòd ſua Maieſtas non modò ad compeſcendos illos, ſed & porrò ad limitaneas Arces, aduerſus quamlibet inuaſionem aliquo præſidio firmandas, me eò cum iuſto exercitu mittere fuerit coacta. Quando igitur ad hos limites progreſſus ſum, iamq; & Monaſterio Veſtro Regius exercitus imminet, cui, vt conueniens præſidium imponatur, ſerium eſt S. R. Maieſtatis mandatum: Veſtro ex commodo fore putaui, ſi vos eius rei gratia, primùm ac maturè commonefaciam. Quod dum facio, vos ſeriò adhortor, vt ſine vlteriori circumductione, aliquos cum liberâ poteſtate mittatis, de quantitate præſidij, aliiſq; ad hanc rem pertinentibus, mecum deliberaturos. Facietis hoc ipſo rem S. R. Maieſtati gratam. Quæ non intermittet, vos, ac Veſtrum Monaſterium, omni

omni Regiâ Clementiâ fouere ac tueri; nec enim aliter Vobis persuadeatis, quàm Sacra Vestra omninò fore intacta, neque deuotionibus vestris vllum impedimentum, multominùs contumeliam illatam iri, siquidem nihil aliud, quàm tutela Regni, & securitas finium quæritur. Cæterùm, si totâ iam Minore Maioreq; Poloniâ, in potestatem S. R. Maiestatis Sueciæ redactâ, desperatisq; omnibus auxilijs, obsistere tamen vlterius præsumatis; non aliter potero, quam præsenti armorum remedio, vos & cum exustione totius Monasterij, ad recens compellere obsequium. Id ne fiat, Vestrum erit fato non resistere, sed honestâ deditione Serenissimi Regis nostri clementiam amplecti. Valete. Dabantur in Castris 8/18 Nouembris, Anno 1655.

Vester studiosissimus

Burchardus Miller, Generalis Leytenant mp.

NON vacabat, vt literis hostium calamo responderetur, præsertim, cùm iam pagum Czestochow*ká* dictum, non expectato responso inuasissent, & per violentiam hostilem, occupassent prædium Monasterio proximum, Ioanne Konopski à rationibus redituum trucidato: necnon loca insedissent oppugnationi vtiliora; armis agendum fuit. Cùmque palarentur per agros, situm & munimen propugnaculorum

lorum explorantes, frequentioribus tormentorum ictib⁹ coërciti sunt in tantùm, vt Millerus militiæ Præfectus, sub vesperum, armorum interstitium postulare necesse habuerit, missis duobus Centurionibus Polonis: qui eadem vsi opportunitate, neutiquam se arma sumpturos contra Locum Sacrum (eadem fuit mens Scythis, Dacis, Moldauis, quorum duo millia sub duobus Legionarijs Ducibus Polonis Regi Sueciæ militarant) sanctè spoponderunt Patribus. Æstimet hinc prudēs lector, quantò immaniores barbaris nationibus sint, contra Loca Sacra Hæretici, & apparentes Catholici. Facilè Patres postulata se concessuros sunt polliciti, si copias ab eorum prædio Millerus submouerit; quod quia is recusauit, vtendum erat illis defensione iusta: ideò cùm viderent allodium suum sufficientiore hoc anno, quam aliàs annona instructum, hosti commoditatem, quâ alimentorum, quâ latebrarum præstiturum, noctu ignitis globis immissis, cum agmine hostium latente, flammis illud deuouerunt.

Accedentes hostes, qualiter à Præsidio Monasterij excipiuntur.

Incenditur à Claromontanis horreum cum hostibus.

Die sequenti Millerus, ad Ædes Sanctæ Barbaræ, & Nouitiorum Monasterium, Sadouio, & Duce Hassiæ constitutis, ipse, siue primi assultus tristi omine consternatus, siue magis opportuni loci ad oppugnandum commoditate allectus, in latus Aquilonare Monasterij, cum maiori validioris armaturæ parte, in Villam *Czestochowká* perrexit, ac ædificiorum latebris

Prima aggressio Monasterij.

latebris hærens, magnam, citra noxam tamen Monasterij, plumbearum glandium immisit grandinem contra propugnacula. Sed meliore tormentorum directione vsi Patres, non paruam in hostilibus turmis ediderant stragem, minoribus & grandioribus globis, tam cuneos agminum disrumpendo, quàm parietes Ædium, quibus se abdiderant, terebrando.

Miles quidam Polonus cogitans de deprædatione Monasterij, globo traijcitur.

Eo tempore, cohortis Polonæ miles, glande minoris fistulæ percussus, seueritatis Diuinæ, cogitatam Loci Sacri violentiam vlciscentis, exemplum posteræ mortalitati reliquit. Inordinato scilicet habendi studio accensus, pollicebatur vberem prædam ex multiplici rerum Clari Montis affluentia, sibi, & suis Commilitonibus obuenturam, & cùm arguentibus socijs, dicti sui temeritatem, ac operis mente concepti, execrandam homini Catholico impietatem, responderet: *Id esse licitum nobis, qui pro Sueco militamus.* continuò globus à mœnibus in caput malæ mentis missus, equo detrusit loquentem, vitamque in eo, & sacrilegam prædandi cupiditatem, extinxit.

Hostes cum domo proxima incenduntur.

Sed & illud hostibus ex inopinato accidit terribile, quòd quas rebantur ædificiorum latebras sibi securitati fore, maximum sibi attulisse detrimentum fuissent experti. Nam postquam Patribus constitit, eos Villæ *Czestochowká*, ædificiorum vicinorum altitudine, in ruinam murorum velle abuti, prærepto illis consilio, nihili æstimantes iacturam bonorum

rum bonorum pro defensione Montis Virginei, crebriores iactârunt è tormentis globos, igne candentes, qui summâ tectorum penetrantes fastigia, è fæno straminibusque sub tecto reconditis, ingentem flammam fumo permixtam caliginoso excitârunt, quâ hostes inter latebras trepidantes, à suismet fistulis flamma crepantibus educentes in publicum, nouis tormentorum obiecerunt periculis palantes, atque plurimos tunc illorum, victimam morti dederunt:

Fugientes ex incensa domo tormentis sternuntur.

ita, vt Millerus miserit sub meridiem quendam ex Polonis Regis Sueciæ stipendiarijs, qui memoratis calamitatibus Regni, quibus Rege absente auertendis esset impar Patria, hortaretur Patres, vt in fidem Regis Sueciæ concederent, quemadmodum vniuersa iam Respublica illius se protectioni ac gubernationi submisit. Commendabat in eo belli gerendi prudentiam, artis militaris experientiam, ingenium sublime, iudicium graue, affabilitatem, humanitatem, clementiam, & omnem curam cogitationemque illius in eo positam, vt quàm maximè securitati finium Patriæ prospiceret, & pericula, quæ timeri ab externis possent, Principibus amoliretur; proinde locum etiam hunc Silesiæ conterminum præsidio firmare in animum induxit. *Quæ in re, auscultare mandatis Principis Clementissimi, an non sit æquitati consentaneum?* *diligentiùs* (inquiebat) *considerate. Mihi credite, satiùs esse beneuolentiam ipsius submissione promereri,*

Miles Polonus missus à Millero, suadet deditionem.

reri, quàm vindictam obstinatione prouocare: quid enim aliud reliquum est indignationi militari, præterquam, ferro & flammis in rebelles grassari? nempe omnibus illud est commune Principibus: Parcere subiectis, & debellare superbos.

Militi suadenti deditionem, Religiosi opponunt literas Regis Suecorum.

Ad crastinam deliberationem dilatum est à Patribus responsum, vbi illud maximè consideratum est: quòd sicut antea Comes à Wrzesczewicz egerat, ita nunc Millerus quoque ad oppugnandum Monasterium suoptè genio, præter voluntatem Regis Suecorum venisset. Missi itaque manè duo Patres, qui dicerent: mirari se vehementer, quòd cùm Rex Sueciæ, publicum edictum per Poloniam promulgari fecisset, quo immunitates Ecclesiarum, & Monasteriorum illæsas & intactas fore polliceretur; qui fiat? vt contrariam literis mentem induerit contra Locum Sacrum, nullâ nostrâ culpâ. Edicti fuit tenor is:

Mandatum Regis Suecorum ad Polonos.

Nos Carolus Gustauus, Dei gratia Suecorum, Gottorum, Vandalorumq; Rex. Magnus Dux Finlandiæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremiæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Vismariæ, necnon Comes, Palatinus Rheni, Bauariæ, Iuliaci, Cliuiæ, & Montium Dux, &c. &c.

Senato-

Senatoribus, Dignitariis, & Vniuersæ Nobilitati Terræ Lelouiensis, in Palatinatu Cracouiensi, gratiam & fauorem Nostrum singularem.

Non potest vos latere, quàm grauib9 causis moti sumus, ad capienda aduersùs Regem Poloniæ arma, peruertendaq; ea mala, quæ Nobis, Regnoq; Nostro, à dicto Rege, iam iam imminere vidimus. Huic armorum nostrorum instituto, ita suffragata est Diuini Numinis bonitas, vt sine vllo impedimento, non modò Nostræ potestatis fecerimus, Vrbem Sedemq; Regiam Varsauiam, sed etiam felici progressu, magnam partem Poloniæ, victrici Nostra manu peragrati sumus, spe certa freti, Deum Opt: Max. consilia actionesq; nostras, porro prospero euentu beaturum; quamuis victoriam Nostram vlteriùs proferre possemus, atque eo, quo datum est modo, victoria vti aduersùs eos, qui partibus nostris se non adiunxerunt. Tamen, cùm ea sit indoles Nostra, vt clementiam, & benignitatem potiùs Nostram, quàm iram & indignationem testatam facere velimus. Proinde vos hisce clementer serioq; inuitamus, vt viso lectoq; hocce diplomate, properè ad protectionem, tutelam, & patrocinium Nostrum confugiatis, & omni cum Rege Poloniæ commercio renuncietis, intraq; diem vigesimam, scilicet venturam proximè instantis Mensis Octobris, Varsauiam vel ipsi veniatis, vel Deputatos vestros suf-

 ficien-

ficientibus mandatis instructos mittatis. Quod si feceritis, promittimus libertatem Religionis immutabiliter conseruatam iri. Deinde milites Nostros, ab omni Procerum & Nobilium, Ciuitatum, Castrorum, & Subditorum violentiâ, inuasionibus, deprædationibus, ac direptionibus amouebimus, & inhibebimus, atque commercia cum finitimis regionibus, in quantùm ob iniurias temporum fieri poterit, tuta & secura præstabimus: ac postremò eorum desideriorum, quæ tantùm dignitatem, & iura vestra concernunt, condignam rationem habebimus. Si verò hanc gratiam, & benignitatem Nostram aspernati fueritis, nec vos à Rege Poloniæ separaueritis, neque quietè vixeritis, vos pro hostibus habituri, & possessiones, bonaq; vestra, fisco nostro subiecturi sumus. Quibus vos Deo clementi commendamus. Dabantur Casimiriæ ad Cracouiam, die 30. Septemb. Anno 1655.

Proinde daret veniam Millerus, si secum neutiquam possit tractari, de constituendo in Monte Claro præsidio, quod multùm libertati Ecclesiasticæ aduersaretur. Indignè tulit is, se ab imbelli Monachorum cœtu super authoritate sua examinari, eo præsertim tempore, quo iam fuisset sibi decretum Regis Sueciæ, rebelles quosuis armis subiugare. Ad quæ modestè Patres responderunt: se non vlla temeritate, sed necessaria in præsens prudentiâ, præsertim in tam arduo negotio, accessum Millero ad Monasterium negare, nî priùs significationem voluntatis Regis Sueciæ, sibi exhibere vellet. Tandem Sole ad occasum vergente, D. Kuklinowski, Eques Polonus, cohortis Equestris Magister, à Generali missus, obtulit Patribus Regis voluntatem expressam, & Sigillo munitam, cum literis Alemanico idiomate scriptis, in quibus mandatum erat, vt præsidijs munirentur, Boleslauium, Vielunium, Krepicium, Częstochowa. Nocte interim ingruente, ab vtraque parte indicta est armorum cessatio: Sueci nihilominùs vsi tenebrarum opportunitate, fossis egerendis incubuerunt gnauiter.

Præsentatur Religiosis mandatum Regis Suecorum ad Millerum.

Dies erat Dominicus, Præsentatæ Virgini Deiparæ sacer; cui sanctiùs colendo, loci dieique ritui vsitato, hanc addiderant Patres solennitatem, vt cìs mœnia circumferretur in publicâ supplicatione Diuinum Eucharistiæ Sacramentum, memores, quomodo ad exterrendos Philistæos, Arcam Dei circum castra duxisset Israel, potentiori signatæ rei, quàm eius vmbræ vetustæ, fisi protectioni. Quapropter ab occupatis deuotione Patribus, non potuit citiùs, quàm sub meridiem hosti responderi, non sine graui eius molestia. Meridie igitur hoc à Patribus legit responsum:

Illustrissime & Excellentissime Domine.

Respondent PP. Millero ad mandatū Regis Suecorum.

N*Ouerit Illustrissima & Excellentissima Dominatio Vestra, non esse vocationis nostræ, Reges eligere, sed*

G

re, sed electos à Proceribus Regni venerari: quem igitur Proceres Regni eligunt, & sequuntur, ei nos, nostraque omnia, & Locum hunc Sacrum, qui hucusque perpetuò, sicut in protectione, ita & in veneratione summâ Regum fuit habitus, humiliter submittimus, & submittemus, non manu armata coacti (neque enim vocationis nostræ aut virium est, potentiæ Regum resistere) sed nostrâ religiositate commoniti. Vidimus ordinationem Serenissimæ Maiestatis: & quoniam Præsidium sufficiens habemus, quo omnis incursio insolentium arceri possit à Loco Sacro; Monasterium præterea nostrum, vnâ cum Ecclesia, diuersa antiquitus gaudeat denominatione, & nuncupatur Clarus Mons, *Oppidum verò Czestochowa, ad nostrum Monasterium nullatenùs pertinet, ideò multam nobis ordinatio peperit ambiguitatem. Quare obnixè Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationi supplicamus, quatenus Conuentum nostrum, & Ecclesiam, Deo, & Sanctissimæ Matri Sacram, in quâ perpetuò cultus Dei maneat, & Maiestas Diuina pro salute Serenissimi Regis exoretur, velit in pace relinquere. Nos interim Exoratores indigni, de pietate Vestræ Illustrissimæ Dominationis multùm confisi, de qua, & in posterum nobis multa pollicemur, fauori Excellentissimæ Dominationis Vestræ, quàm diligentissimè commendamus. In Claro Monte, die 21. Nouembris, Anno Salutis, 1655.*

F. A. K. P. C. M.

Tribus

Trib⁹ in locis interea disposuerat Millerus tormẽta, qui perlectis literis, ignem gladiumq; subitò intonans, ad exterminationem Monasterij se accingit. Iamq; à lateribus Austri & Aquilonis, maiorum tormentorum vomit incendia, & flammantes globos. *Oppugnatur Monasterium.*

It cœlo fragor, & tectis salit horrida grando.

Hiant imbrices fissæ, & crebris ictibus plumbearum glandium sede suâ reuulsæ: volant ignitæ faces, & malagranata puluere pyrio inferta, templi tegulis inijciuntur: contortæ stupparum pilæ, pice resinâq; oblitæ, flammas excitant: quassata attamen nequidquam gemunt mœnia, duriores impetus exceptura: omnia pertentat hostis, vt magnitudine periculi & metu, corda obsessorum percellat; neque tamen, aut ignis creber, notam imbellis animi Monasterij defensoribus inussit, aut frequens tormentorum tonitru, incussit pauorem. Erant per tecta dispositi custodes, qui globorum & sphærarum ignitarum sopirent incendia, & ea, aut madidis opprimerent velis, aut contis deijcerent. Stabant muris imperterriti propugnatores, æquè ad excipienda hostium pericula, quàm ijs inferenda prompti, eò maiore animo, quò plura iacula conspiciebant, fallente scopo, irrito conatu torqueri, nonnulla ictu leui muros attingere, prope illos alia decidere, alia (mirum dictu) tegulis excuti, nec sontico resilire casu, multa demùm casso euentu præteruolare Monasterium, & plùs de-

 trimen-

trimenti suis è regione oppugnationem vrgentibus afferre, quàm obsessis. Dum verò vtrinque suis nauiter intenti officijs feruent animi, è sublimi turris odeo, ab aulædis, choraulibus, tibicinibusque, in tubis ductilibus, pio Hymnorum sono, in laudem Gloriosæ Virginis Matris ordinatorum, recreantur obsessi: hostes è contra Musica suos eludi conatus, & tam terribiles assultus contemni, furiosâ indignatione ringuntur. Tantùm accreuit fiduciæ Claromontanis cantu sacro, vt deinceps in consuetudinem ijs venerit, harmonia simili, & calamitatem obsidionis solari, & furorem barbarum ferocientis exercitus ab auribus sexus timidi amoliri.

Hymni Beatæ Virginis è turri in oppugnatione decantantur.

Eadem vi & impetu, sequenti & alterâ die prosecutus oppugnationem hostis, noctis obscuræ beneficio securior, fodiendis cuniculis incubuit, & multa sedulitate proximas Monasterio fossas egessit, ac propè muros admouit machinas, sustinendis tormentis idoneas, corbesque terra oppletos, maiora subinde tormenta magis ad terrorem exonerans, quàm ad discrimen obsessorum.

Noctibus vt plurimùm hostis infestat Monasteriũ.

Cùm verò intenderet, continuis exagitando infestationibus Montem Sacrum, nullatenus à periculis reddi securum: singulis vt plurimùm noctibus, quando alijs astibus locus non patebat, incendere studuit Monasterium, iaculando ab vtroque ipsius latere globos pyreos, aut ferreos ignescentes; qui cæco impetu muris

muris passim impingentes, deorsum cadebant; sæpè præteruolantes tecta, aut illa penetrantes, vltra Monasterium inani conatu ferebantur; quandoque tamen trabibus tectorum infixi, certa faciebant incendiorum pericula, nisi ex fumo aut flamma deprehensi, à sedulis obseruatoribus exciderentur. Et verè, quòd in multiplici strue tectorum, de lignis fomento ignis ingenti & arido, euaserint tecta, flammæ voraginem, Diuinæ prouidentiæ adscribendum; vti & illud rarum nocte alterâ factum, quòd globus ferreus ignescens subeundo tectum, à fumario retrusus, & ad latus cadens infantis, nec ipsum infantem læsit, nec ipsius infantis cunas adussit.

Iacula Monasterio minus nocent.

Infans in cunis à globo ignito illæsus.

Perendie bene animati Claromontanorum stipendiarij, aduersus hostem negligentiùs de nocte agentem, (quod ex relatione loci peritorum didicisset, nullum imminere periculum excursus ab obsessis) in occulta muri parte euolutis lapidibus, secreti egressus aperuerunt viam, quâ ipso conticinio, G. D. Petrus Czarniecki (Vir gloria militari insignis, & qui in defensione Clari Montis multa præclarè gessit, strenuus & indefessus honoris Diuini, & Deiparæ propugnator) agmen præsidiariorum militum eduxit, & cum illis clàm hostiles prætergressus excubias, ad caput fossarum descendit; ibique partem agminis ad latera sistens, alia parte per fundum earum feliciter deducta, hostem à tergo ex improuiso adoritur. Necat obuium

Excurrit Czarniecius nocte contra hostem.

uium quemque, & primùm lecto se inferentem, armaturæ Præfectum, tum & plerosque Officiorum Principes contrucidat; milites deinde gregarios, vnius ictu fistulæ pluribus infertæ globis, partim sternit, partim dissipat: quorum alij in fugam versi, gladijs cæduntur inuasorum, alij dum extra fossam prosiliunt, in arma subornatæ stationis incurrunt, & lethali excepti meta, vitæ cursum sistentes, miserè intereunt. Inter præcipuos corruit ea strage Geometriæ Magister, & excellens quidam vir de Fossis, Comiti amicissimus, & in ordine militari secundus Corruit itidem Oberster Generalis, de insigni Suecorum Familia Hornn, Gubernator Krepicensis à Rege Suecorum constitutus; qui, cùm à falce in pectore transuersum vulnus accepisset, in Arce Krepicensi multo tempore decubuit incurabilis, & tandem doloribus & saniè confectus, intolerabilem edens fœtorem, eo die terribiliter, quo Millerus à Clari Montis obsidione recessit, spiritum exhalauit. Hoc felici exitu, ingens clamor hominum, tormentorumq; fragor, à Claromontanis excitatus, hostem suæ cladis nescium, & nocturnâ desperatione tumultuantem, è stationibus Monasterio propinquis in fugam dedit, atque sub dio tentorijs exutum & insomnem, reliquam funestæ noctis trepidationem tolerare coëgit. Præsidiarij demùm in duorum grauiorum tormentorum ignitabula grandibus impactis clauis, ne amplius

Inter insigniores perimitur Hornn Suecus.

Hostes è Castris fugantur.

amplius vsui esse possent hosti, prædâ onusti, ad Monasterium redeunt vno pauciores Ianicio Vngaro, viro aliàs forti, sed parum prudente: qui, dum extra agmen solus ad Castra Suecorum pergeret, à Commilitonibus transfuga reputatus, pœnas vel imprudentiæ, vel temeritatis dedit, glande plumbeâ à suis traiectus. Illud hic memorabile accidit, quòd dum aliquot ex Castris hostium globi flammiuomi fuissent explosi contra Monasterium, eorum vnus postquam in tectum Sacelli Deiparæ Virginis impegit, repente resilijt: alter dum ad latus Sanctuarij tenderet, horrendos, quasi vi occultâ retrusus; versus Castra se resupinauit, per aëra ignes stillando.

Ianicius Vngarus ex Præsidiarijs, à suis occisus.

Globus flammiuomus ex aëre retrò abit.

Porrò Millerus, cùm se talibus machinationibus, in oppugnando Monasterio parum proficere intelligeret, misit ad Vitembergium, Generalem exercitus Suetici Præfectum, Cracouiæ tunc agentem, vt sibi tormenta muris quatiendis idonea subministraret, ac suas copias peditatu augeret. Ipse interim cuniculos egit versus mœnia, sed irrito conatu, rupe obstinata, aditum ad muros negante.

Millerus petit à Vitembergio mitti sibi muralia tormenta, & peditatum.

Venerat interea ex Castris hostium, insignis quidam Eques Polonus, ætate & facundia grauis, de quo nulla mali consilij suboriri posse videbatur suspicio. Hic humanissimè à Claromontanis exceptus, cùm diserto sermone, inter familiare colloquium, statum deploratum Reipublicæ aperuisset, solicitare ad deditionem

Noua suggestio deditionis per Equitem Polonum.

ditionem Monasterij Patres Claromontanos orsus est: *In quæ prôh dolor, afflicta Patria deuenit tempora! quando Procerum Nobiliumq; exclusa suffragiorum libertate, ipsi necessitati Regem Suecorum nobis imponenti obtemperandum est. Abest* IOANNES CASIMIRVS *Rex Noster, verè an falsò (sit posteritatis iudicium) spreti Regni & deserti, ab vniuersa Nobilitate insimulatus. Cessit tota* Polonia *potentiæ Regis Suecorum, Vestra sola Religiosi* Patres, *vel audacia, vel temeritas, ipsius furori paratur: non alium Vestrorum consiliorum fructum relaturi, quàm excidium seræ posteritati memorandum. Mora diuturnior resistendi, vehementiorem acuit vltoris vindictam; præstat rebus integris cum hoste componere, quàm serò perniciosi erroris pœnitere, & extremam cladem Loco Sacro, ac Personis accersere. Considerate, quomodo robur militiæ Polonæ Quartianorum legiones, nihil reluctantibus suis Ducibus, fasces & arma Sueticæ potestati submiserunt. Omnes Principes, tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, extortis impetu consiliorum vehementi remis, vela Diuinæ permiserunt voluntati: nihil ausi contra torrentem niti. Ecquæ Vestra est spes, vel dicam liberè, quæ obstinatio? communi fluctu non circumagi, & immotos stare velle in publica omnium tempestate? Agite quod omnes, si salus Vobis cordi est, nec soli tantùm sapiatis, quantùm tota Respublica, miserè præsentium temporum calamitate depressa nequit. Bonum est niti Principis mansueti*

clementia, pessimum diu læsæ patientiæ furorem accendere. Fiet illud, nisi de Vestra temeritate remiseritis, vt rebus omnibus Monasterij pessundatis, suam Vobis parendi & tolerandi (Deus auertat, ne atrocem & sæuam) imponat voluntatem. Timor & fuga sæculi, Religiosi cœtus arma sunt. Quid Vobis cum bellorum strepitu, quos institutum Ordinis ad solitudinis vocat silentium? attendite diligenter, ne mutati clypei Vestræ ruinæ attrahant occasionem. Non est eo animo in nostram Catholicam Religionem Rex Sueciæ, vt Iura, libertates, atque immunitates illius eat perditum; munitionem Monasterij prensat, non Loci Sacri demolitionem aut expilationem: interest ei, locum hunc præsidio firmiore muniri. Quanquam etiam hoc Vos non illibens submoneo Patres Reuerendi, *vt morem Milleri postulationibus gesseritis, in hostem nihilominùs admissum intra muros pro consuetudine belligerantium, Vos nonnihil argenti erogaturos, præsertim in grauioris armaturæ Præfectum, ad quem lege militiæ pertinent ea omnia, quæ sunt ære, orychalco, cupro fusa, & fundendis tormentis apta, quæ ab eo Vobis necessariò redimi oportebit.* Asperâ frontè nonnulli ex Patribus dicentem audiuêre, atque dum ab aliquibus amicis rogaretur, vt operam interponeret æquis conditionibus placandi hostem, illi rem tacitè considerantes, Oratori responsum differendum suaserunt, procrastinationem è re sua fore credentes, spe vel hostis ipsa hyemis tempestate labe-

factandi, vel suppetiarum à Serenissimo IOANNE CASIMIRO, Poloniarum Rege, mittendarum innixi.

Iam inclinato ad vesperum die, pertæsus moræ hostis, cœpit tormentis Claromontanos lacessere, non imparatos ad respondendum, ita, vt negotium habuerit redux nuntius, hinc inde volantes globos declinare, & qui in accessu ad Castra, vix se celeritate ictui tormenti subduxerat, in recessu quoque ex Monasterio, globi stridore à Castris explosi perterrefactus, ægrè caput saluauit. Malorum scilicet consiliorum portitorem, imminens ab hoste discrimen, melioris erga Locum Sacrum officij, admonuit. Noctem illam insomnem prorsus egerunt castrenses sub signis, confusionis & stragis pridianæ memores.

Præfatus Nobilis in reditu ictum globi vix euadit.

Principio deinde lucis, Millerus per prædictum Nuntium manifestari sibi, an flexerint animum Patres ad voluntariam deditionem, requirit. Tardiùs is intra muros admissus, nec qua heri liberalitate tractatus, cassas verborum ambages tulit, nihilque ampliùs respondere potuit exercitus Præfecto, quàm scomma mordax: *Isti Monachi nihil sapiunt, temerarij sunt, & proterui.* Ea tamen occasione factum, vt plerique Præsidiariorum potentiâ Regis Suecorum exterriti, & in seditionem autore primipilo concitati, proditionem moliri cæperint, & iam in deditionem Monasterij clandestinam conspirauerant: quod

Præsidiarij in deditionem conspirant.

quod cùm magis fidelibus suboleuisset, & plerosque cognouissent, desertionem Monasterij potiùs cogitare, quàm hosti subiectionem, detestati eorum perfidiam, rem ad Superiorem Conuentus detulerunt; qui gliscentem seditionem in limine prudenter elisit, duplicato in Mensem Præsidiarijs stipendio, & fide ab ijs interposita, ad extremum vitæ spiritum, Monasterium constantissimè defendendi, & ne facilè postea militum titubarent animi suasionibus Præfecti, ab officio eum remouit, & loco cum capitibus defectionis exclusit. Curam deinde Præsidiariorum, propugnaculorum, & totius in propugnando regiminis, exemplo hoc commonitus Pr. Prior, diligentiorem & exactiorem habendam, & vti stipendiarium militem ac Nobilitatem, ita & Religiosos suos, in meliorem ordinem censuit redigendos. Proinde, præmisso cum Nobilitate & Patribus consilio, primùm Seniores Patres omnes Choro addicti sunt, nocturno potissimùm; nam diurno etiam iuniores interesse consueuerant. Recensito deinde peditatu, & suis locis immutabiliter affixo, ac pensatâ necessitate locorum, & personarum, numero & dexteritate, pro singulis propugnaculis vnus Nobilis cum sua familia, (nam propter paucitatem eorum, plures non poterant adhiberi) Religiosi verò decem, necnon tormentorum duo libratores certi, immobiliter designati sunt, & eorum Præsides deputati: qui omnes quidem

Occasione conspirationis, Præsidiarij inter Religiosos cautius disponuntur.

quidem vrgente necessitate, ordinariè tamen per horas laborem inter se partiti, diu noctuque cum mercenario milite suis attenderent munitionibus.

Atq; ita præfecti sunt ab Aquilone Orientali propugnaculo, G. D. Sigismundus Mosinski, & Pr. Hilarius Sławoszewski. Occidentali, G. D. Nicolaus Krysztoporski, & Pr. Ignatius Miełecki. Ab Austro verò propugnaculo Orientali, G. D. Petrus Czarniecki, & Pr. Adamus Stypulski. Occidentali, G. D. Ioannes Skorzewski, & Pr. Daniel Rychtalski. Duo quoque excubiarum Præfecti constituti, Pr. Marcellus Dobrosz, & Pr. Zacharias Małachowski. Duo item cum imbelli plebe tectorum, ne ignem conciperent, custodes continui. Armaturæ verò, & reliqui apparatus bellici curam accepit Pr. Petrus Lasota; cui etiam demandatum fuit, vt in noctium obscuritate, illustrandis circumquaque munitionibus lumen suggereret, ne per tenebras ad fossas vel murum facilis hosti pateret accessus: & vt de vertice turris, faces quandoque exponeret flammantes, in signum nondum factæ deditionis, si forte aliqui superuenirent exercitus, subsidium obsessis daturi. Et ne quid in propulsandis excipiendisque periculis diligentiæ, & officij deesset; vniuersalis cura commissa est Generoso Dño Stephano Zamoyski, & Patri Ludouico Czarniecki, potissimùm ratione Religiosorum, & stipendiarij militis, qui sæpiùs lustrarent, & in periculis anima-

marent milites, cum manu militum ad id deputatorum, vbi forte necessum foret auxiliatrice affuturi.

Quamuis autem ad officium ita reducto peditatu, & confirmatis Equitum animis, sufficientes sibi videbantur obsessi, ad fortiter excipiendos hostium assultus; nihilominùs specie cogitatæ deditionis, re autem vera hostium vires & consilium explorandi gratiâ, potissimùm verò suspendendi retardandique impetum hostis, quousque de subsidijs certiores redderentur, missi sunt cum memorato Nobili duo Religiosi, Pr. Sebastianus Stáwicki, S. Th. Lector, & Pr. Marcellus Dobrosz; qui, quòd aliquam iustæ compositionis spem Millero iniecissent, officiosa comitate, ac vultu liberali ab eo sunt excepti, à Comite tamen Wrzesczewicz asperiùs tractati.

Manè iterum missi, rogârunt Millerum Generalem Præfectum, vt scripto exprimeret, quid occasione deditionis exigendum putaret à Patribus? Lætus hoc ille nomine, quòd iam illos in sua fore potestate crederet, in signum beneuolentiæ ac liberalitatis, sex grandes pisces; lucios duos, & quatuor rubelliones ijs obtulit, & has Conditiones in scripturam relatas proposuit. *Patres simulant deditionem.*

K PVNCTA

Offeruntur Religiosis Puncta deditionis.

PVNCTA ET ARTICVLI CONVENTI,

Inter Excellentissimum Dominum Burchardum Millerum, S. R. M. Sueciæ Locum teneñ. Generalem ex vna, & Patres Monasterij in Claro Monte, ex alterâ parte, super deditionem eiusdem Monasterij, &c.

1. *Monasterium Clari Montis, eiusq; Patres & Incolæ, concedunt in deditionem & tutelam Sacræ Regiæ Maiestatis Sueciæ, cupientes in posterum, deuotè & subiectissimè, non aliter, ac decet subditos deuotissimos, colere ac venerari S. R. Maiestatem. E contrariò, renunciant Regi* CASIMIRO, *hoc ipso, & omnibus obligationibus, Serenissimo Regi Sueciæ contrarijs, nec committere volunt, vt siue clàm, siue palàm, siue opere, siue consilio, per ipsos, aut ipsorum nomine, per alios, S. R. M. eiusq; Maiestatis exercitui, vel ministris, vllo modo noceatur.*
2. *Rursus Excellentissimus D. Generalis Locum tenens, nomine S. R. M. Sueciæ, prædicto Monasterio, eiusq; Patribus, ac cæteris Incolis, securitatem plenam promittit, insuperq; cauet, non modò Monasterium illud Clari Montis, cum omni supellectili sacrâ, &*

crâ, & mobilibus Patrum, ac cæterorum Incolarum, ac Monasterij subditorum intactum fore, eiusdemq; reditus ex Prædijs & Villis ipsis relinquendos, nec insolitis Contributionibus grauandos esse; sed etiam Religionem, eiusq; exercitium, Processiones, Peregrinationes Sacras, & deuotiones, quocunque nomine veniant, nullatenus turbatum iri.
3. *Pro maiori autem securitate, & tutela Monasterij & Fortalitij, præsidium ex militibus S. R. Maiestatis Sueciæ imponendum, centum quinquaginta sclopetariorum.*
4. *Dictis Præsidiarijs alimenta & commeatus, nec non stipendia, non à Monasterio aut Patribus, sed à Districtualibus subditis suppeditabuntur. Mansiones autem extra Monasterium, & cellulas intra murum & vallum conficient, exceptis Officialibus, quibus honestæ habitationes in Ædibus concedantur.*
5. *Nobilibus & extraneis, sicut & omni præsenti militi Præsidiario in Monasterio commorantibus, liber conceditur abitus: quemadmodum etiam vi honoris anteire tenebuntur, post deditionem factam statim ex Monasterio exire, & media Salua Guardia in suis Prædijs & domibus manere.*
6. *D. Zamoscius, Gladifer Siradiensis, facultatem habebit pro sua persona cum vxore, & famulis, manendi in Monasterio, aut liberè ad Villas & Prædia sua commeandi, modò ille ab Imperio in milites Præsidiarios,*

ſidiarios, & omni hoſtili apparatu & conatu, aduerſus S.R.M. Sueciæ abſtineat.

7. *Hoc ipſo die, poſt concluſam conuentionem, Porta Suetico Præſidio aperiatur, & Domino Generali, cum aliquo Comitatu libertas eundi in Monaſterium, & luſtrandi illud concedatur, ipſum autem Præſidium Monaſteriale ſimul excedat, nec à militibus Regis Sueciæ examinabitur, quæ traditio Monaſterij cras hora octaua matutina effectum ſortiri debet.*

Quoniam verò negotium hoc eſſet arduum, ad communitatem referendum Patres reſponderunt, vt quòd ſingulorum intereſſet, collatis in commune conſilijs, plenâ deliberatione firmaretur, craſtinam proinde diem declarationi pacti ſunt, quâ iam tot aduerſis exercitatam conſtantiam, & communi alacritate ſuffultam tenere decreuerant, mori promptiores, quàm hoſti conſentire. Deputati ſunt omnium ſuffragijs Patres, Matthias Bleſzynſki, Philoſophiæ Lector, & Zacharias Máláchowſki, idoneis præmoniti cautelis, ne quid extra mentem Collegij, vnanimi conſenſui conformem, loquerentur. Venerunt ad Millerum mane, & officiosè ſalutato retulerunt, ſe nihil habere in mandatis à Superioribus, ad reſpondendum ſingulis punctis Conditionum deditionis, præterquàm, quòd Regis Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI, Iuribus & Protectioni renunciare nequeant vllo modo, ante-

Deputantur Patres ad tractandum.

Religioſi renunciare nolunt Regi Caſimiro.

do, antequam more Maiorum Rex alter electus legitimè declaretur ab Illuſtriſſimo Domino Regni Primate, ad quem hoc de iure Patriæ ſpectare dignoſcitur. Non Religioſorum eſſe muneris, trutinare Iura Regum, ſed quem ritè Sacra Poteſtas pronuntiauit electum, ei obedire, fidemque ac reuerentiam exhibere, ſecundum Sacrorum Canonum, & Oraculi Diuini edicta. Quòd ſi aliqui à legitimo deſciuerunt Principe, ad ſequelam nobis nequaquam proponi debet, quibus ſanguine obſignare fidem erga Dominum Noſtrum promptum eſt; ſic enim pro viribus noſtris iuris Diuini ac humani tutabimur integritatem. Cæterùm Excellentiſſima Dominatio ſuccenſere nuncijs non poteſt, qui ea dumtaxat, quæ ſibi commiſſa ſunt, fideli retulerunt ſermone.

Illudi ſibi reputans Præfectus Militiæ, quòd non cũ ſufficienti mãdato, Patres ſunt à Superiorib⁹ miſſi, nec cum plena, vti ſperabat facultate ad ſingula Puncta reſpondendi, & in ijs, circa emergentes difficultates planè decidendi, vertit ab aſtu ad vim conſilium; detinuit in Caſtris miſſos Patres nullatenus dimittendos, niſi à Superioribus plenam haberent licentiam ſingula Puncta concludendi. Conuentum autem erat inter partes circa ea colloqui, datis pro ſecuritate Tractatuum obſidibus, verùm, qui ſuſceperat Prouinciam hoſtem adeundi, G. D. Stephanus Zamoyſki, Enſifer Siradienſis, cùm ſibi reciprocum obſidem

Patres in Caſtris detinentur.

obsidem imparem conditione videret, susceptum recusauit munus. Patres porrò humanitati confisi Milleri, cuius experimentum heri acceperant, non expectatis obsidibus, ad Castra hostium descenderunt, vltra quos ampliùs dari, vel habere obsides Millerus minimè curauit.

Oppugnationem intensiùs parat, & consensum extorquet à detentis Patribus.

Patres proinde ab hoste detenti, multis fatigari criminationibus, contumelijs, ludibrijs, suppliciorum minis, terroribus, & angustijs habuerunt necesse. Nec minore molestiâ laborauit tota Congregatio ipsorum detentione; namq; hac occasione, ab armis Claromontanorum hostis securior, impunè fossas egessit, sepimenta sustinendis tormentis plura extruxit, stationes disposuit, subterraneas specus & cuniculos fodit, excubias muris propiùs admouit: nihil prorsus intentatum ad labefactandos ipsorum animos reliquit; diras execrationes in Locum Sacrum, horrendas in Deiparam Virginem blasphemias, in Religiosos abominanda opprobria vomens, Claromontanis interim maximo mœrore tabescentibus, quod dura necessitas seruandi vitam vtriusque Patris, tela sibi omnia defensionis de manibus extorsisset: etenim, si vel vnum de nostris tormentum, aut siphunculus ferreus intonuisset, præsentem eamq; turpissimam mortē non euasissent captiui Patres, quam promiserat Millerus edixerat. Exterruit non neminem obsessorum funesta destinatæ illis necis sententia, circum

cum mœnia frequentiùs militari vociferatione increbrescens: *Aut vltrò tandem subijcite Monasterium, aut vestris Monachis ignominiosè scitote occumbendum.*

Variè ad deditionem solicitantur Religiosi.

A terrore deinde hoc, quo ad extremam adigere desperationem volebat, obsessos, ad exprobrandam Arcis & Vrbis Cracouiensis deditionem gradum fecit Millerus, temerarium asserens, vnum obluctari Monasterium viribus & potentiæ Suecorum Regis, quam tantoperè Cracouia exhorruisset, herbam vt porrexerit, & Fasces Signaque militaria ipsius submiserit voluntati. Ostentabat & rerum gestarum euentu prospero gloriam, cui quidem ipsius voluptati gestienti, & se insolentiùs efferenti, ansam præbuit Nostrorum calamitas. Nam posteaquam Illustris Dominus Stephanus Czarniecki, Castellanus Kiouiensis, cedens Præsidio Cracouiensi, à Rege Suecorum statiua in Ducatu Seueriensi obtinuisset, ad destinatum tempus inibi constitit. G. D. Wolph, Serenissimi Regis CASIMIRI Cubicularius, & Maior Regij peditatus Præfectus, securum ratus, sub fide data nihil aduersi, ab exercitu Suetico extimescere. Millerus callidè anticipato temporis præfixi decursu, clàm corruptis Centurionibus pretio, ipsum, & septingentos pedites Seueriæ captos, in suam redegit potestatem; cuius rei è vestigio certiores fecit Claromontanos, per G. D. Kuklinowski, Polonicarum

Instruitur acies hostiũ.

Captiuus Czarniecij peditatus præsentatur.

Copiarum Magiſtrum. Eos die altera aſtutè ſuis immiſtos phalangibus, ſub octo Signis ad terrorem ordinatis, circum mœnia Monaſterij duxit, vt triſti hoc ſpectaculo obſeſſorum oculis expoſito, dum reliquũ illud pereuntis Patriæ præſidium iam funditus corruiſſe dolerent, eos ad deſpondendum animos adduceret; perſpicuè conſiderantes, nullam ſibi prorſus aliunde ſpem auxiliorum affulgere poſſe. His & ſimilibus machinationibus, ac crebris ad nauſeam vſque Legatorum ſolicitationibus, expugnare conatus eſt Claromontanorum conſtantiam: verùm illi omni ope humanâ & conſilijs deſtituti, tantò certiùs ſibi diuinitus affore auxilium credebant, quantò ſcirent luculentiùs ſe Dei cauſam, & locum tueri, nihil trepidi pro DEO, Patria, & Rege, mortem oppetere glorioſam.

Cæterùm plùs de Fratrum ſalute, in manu hoſtiũ ſoliciti Patres, nihil omiſerunt eorum, quæ facere poſſe intelligerent, ad eorum vitam conſeruandam. Itaque miſerunt frequentiùs Legatos, qui enixè vrgerent Tractatum compoſitionis, à quâ modo iuſta & honeſta eſſet, nihil ſe abhorrere, ac pro ſuo inſtituto viuendi, Religioſam quietem præferre Martijs clangoribus & angoribus. Supplicatum eſt literis, vt dimitterentur inſontes Religioſi, exprobrata hoſti perfidia, iuriſque gentium proſtituti, ac violatæ ſecuritatis inculpatus Millerus; nec ſe poſſe ad vllas compo-

Exprobratur hoſti perfidia de captiuis Patribus.

ſitionis

ſitionis conditiones deſcendere non integrâ libertate, Patres aſſeruerunt: imò quamuis hoſtili ferociâ in vitam captiuorum graſſari (quod non optamus) voluerit hoſtis, Diuinæ ſe hac in re non poſſe reluctari voluntati, abſque cuius nutu capillus non decidit de capite cuiuſquam eorum, qui multis ſunt paſſeribus meliores, ipſa Æternâ Veritate aſſeuerante. Moriantur illi, vt toti Monaſterio ſanguine glorioſam emant libertatem, cui nos defendendæ, ſtrenuè ac fideliter DEI Optimi Max. freti auxilio, incubituros pollicemur.

Tot querimonijs expoſtulationibuſque pulſatus Generalis Præfectus, ne omninò barbarus videretur, ac ne ſpem ſibi præſcinderet obtinendi Monaſterij Tractatibus, ex Fratribus detentis, quos iam putabat minis ſeuerioribus, fortunæque ac potentiæ Sueticæ oſtentatione, in ſuam pertractos ſententiam, vultuſque compoſitione blandâ, ac iucundâ conuerſationis familiaritate delinitos, vnum Sacramento adſtringens redeundi, mortemque turpiſſimam Socio, ni rediret ipſe minitans, ad præmonendos Patres dimiſit. Nuntiat ille viſa & audita fide integrâ, potentiamque Suetici exercitus objiciens, arguit temeritatis Fratres, quòd omni expectatione auxiliorum exuti, nihilominùs in obſtinatione voluntatis perſiſtant, & eò maiorem in ſe ferocitatem hoſtis accendant. *Ecquæ iſta proteruia eſt*, inquit, *ad tempus aliquod vires tanto*

Captiuorum Patrum vnus dimittitur, vt ſuadeat deditionem.

res tanto exercitui opponere: quas longiore fatigatas obsidione, necesse sit omninò succumbere. Fames ipsa hosti dabit nos (vt incommoda cætera diuturni squaloris taceam) fabulam stultæ arrogantiæ seræ posteritati futuros. Sanguis, qui fundendus erit ob neglecta pacis consilia, de manu Superiorum requiretur. Verùmtamen, vitam meam bono Conuentus inferiorem reputans, absit, vt propriæ sequar sensum voluntatis, commune VV. RR. præstolor consilium, fideliter iudicij Vestri, quod vnanimi feceritis consensu sancitum, hosti reportaturus.

Refert Millero, quid effecerit.

Auditus hic Pater, continuò ex data fide ad hostium Castra remissus cum responso. *Fratres paratos esse ad componendum cum Vestra Excellentia* (ad Millerum ait) *nisi eam compositionem retardaret mala in nos E. V. voluntas, quæ nos legatos à Communitate, occasione Tractatuum missos, licentiâ hostili contra omne fas, & ius gentium, redegit in mancipiorum conditionem; quæ iuris vt pote alieni non sui, ad negotia tractanda nullatenus admitti solent: si V. E. cum Conuentu vult tractare compositionem, soluat fidem, & nos faciat pertinere ad Communitatis libertatem; alias ea diminuta nihil geri potest aut transigi. Ad nos quod attinet, victima stamus alacris pro integritate Monasterij, mori nihil recusamus, vitam nostram Deo semel, in Superiorum manibus deuouimus.*

Misit & alterum Patrem Millerus ad Monasteriũ, eodem

Mittitur alter captiuorum Pater.

eodem Sacramento adstrictum, quo priorem obligauerat, quem penes se detinuit, dum ille reuerteretur. Eadem & alter retulit Patribus, nisi quòd maiore animatus fiduciâ nihil suasit, quod è re hostis fore videretur, vitam suam Patrum dedens placitis ad instar prioris, dummodò Locus Sacer ab hostium vi, maneret illæsus. Dum verò in Castra hostium cum eodem responso quo prior, est regressus, vterque sententiam crastinæ mortis audiuit, ad suspendium vt se disponeret, à Millero præmoneri iussus. Exterruit hostes ipsos mortem illaturos, animosus vitæ interimendorum contemptus *Eia*, inquiunt, *quid ni hodie morimur, eadem cras, Deo, Regi, & Patriæ victima futuri.* Postridie deinde, in aliud tempus dilata mortis executione, inuitati ad epulas Generalis Præfecti responderunt: *Non esse dignum mensæ illius assidere, mancipia patibulo destinata.*

Decretum mortis à Patribus animosè acceptum.

Ea ibi dum geruntur, indictum fuit vtrinque silentium armorum, & Suecis interdictum, ne quid operis noui molirentur, dum Patres in Tractatu compositionis cum Præfecto Militiæ versarentur. Sueci nihilominùs maiore quàm aliàs insolentia ad mœnia procurrunt, cuniculorum fossarumque operi vehementiùs instant, obsessis insultant, stationes promouent, & sub muros propiùs excubias ducunt. Hæc omnia Præsidiarij Claromontanorum iniuriam interpretati, nihili æstimarunt, præter mandatum Religioso-

Insolentes Sueci, sub armistitium à Præsidiarijs cæduntur.

ligiosorum ausus reprimere hostium, & tantam compescere peruicaciam. Magnam igitur ea nocte virorum equorumque stragem tormentis, & fistulis ferreis ediderunt, vt reliquum noctis insomnes ducere debuerint Sueci. Excanduit eam ob rem Præfectus, tamen vbi causam didicit violatorum Pactorum per suos stetisse, adduxit habenas furori, ac postridie misit internuncios, vt conditionibus à se porrectis, venirent Patres in protectionem Regis Suecorum. Cui responsum est vt ante, à Patribus in eo fidem desiderari, quâ deficiente, quomodo Pactorum conuentorumque stabit constantia? siquidem est, cur timeant, in alijs quoque sibi non seruatum iri fidem, quemadmodum in Patrum detentione factum est. Itaq; spe illectus conuentionis de occupando Monasterio, Patres tandem Conuentui dimisit.

Patres captiui dimittuntur.

Ob hoc, vt ipse interpretabatur Patrum dimissorum beneficium, sperauit sibi iam integrum esse votis potiri: proinde plures intra dies multos legauit sollicitatores, qui Claromontanis persuaderent, vt imponi Præsidium Regis Suecorum Monasterio paterentur, conditionibus ad suam voluntatem limatis. Porrò, vt pro ipsis stabiliendis ipsum Regem adirent (nam hoc requirebant Patres) non expedire, cùm id neque per angustias temporis liceat, neque integritas autoritatis Generalis Præfecti ferat qui eas bona fide exhibiturus esset Regi, manu suâ & Sigillo firmandas,

Vrget Millerus deditionem varijs argumentis per suos.

das, ac intra breue tempus Patribus transmittendas. Non esse aiebat quidquam, quod magis diutinâ cunctatione suspensos Patrum animos deberet morari, cùm præsertim gloriam maiorem Cracouiâ diutiùs resistendo, exercitui Suetico, essent consecuti: nec haberent, quorsum ad auxilia speranda dirigerent oculos. DD. Dynhoff, & Wolph, in potestate Regis Sueciæ constitutis, qui videbantur nonnihil subsidij posse afferre obsessis, tum & Copijs D. Castellanei Kiouiensis fugatis, & terrore dilapsis, quorum tormenta in manibus essent victorum. Scirent Patres, quòd posteaquam Cracouiâ machinæ muris quatiēdis aptæ adducentur, nullum sibi deinceps interuallum deliberandi relictum iri, aut quasuis moras spe compositionis vlterioris nectendi. Denique considerarent, frustra se velle temeritate superbâ cum militari perseuerantia certare: qui enim fieri potest, vt victoriosus miles, ab hoc vno Monasterio desistat oppugnando, qui vniuersam Poloniam, trophæo Regis Suecorum, felicissimè iuxta ac potentissimè submisit? illud scilicet vnum superstes, gloriæ victoris manebit?

Comminationibus Suecorum vires, & suos prosperè gestorum successus iactantium opposuit G. D. Stephanus Zamoyski; & cùm ad leniendum in hoste mentis tumorem formaret responsum, Nobilis quidam Polonus, genere & officio insignis, militari Suecis

Pro Religiosis opponentem se Zamoscium, miles Polonus exagitat, & pericula Religiosorum exaggerat.

Suecis assistens, verba reddere incipientem præuertit: *Nunquid, Generose Domine Zamoyski, Comitia hic Polona tractantur, vt ingenio ludens, per elaboratas verborum ambages compositis rationibus, conatus & mandatum Serenissimi Regis Suecorum euertere contendas! Sumus & Nos, quibus est gratissima Patriæ salus, & æquè, vt alijs bonis Ciuibus interest, eius integritati studere: Iam iam labanti, ne penitus cadat piè consulendo, sic prudenter succurrendum duximus, scilicet in partes Serenissimi Regis Suecorum, Domini & Protectoris Clementissimi, declinando. Desine, Generose Domine, in perniciem Loci Sacri praua moliri consilia, & Patres Tuis haud tutò persuasionibus innitentes, imminentibus vitæ ipsorum exponere periculis. Poterisne G. D. de Tua substantia damna refundere, quæ à numeroso exercitu Suetico, & Conuentui, & Nobilitati, ad aliquot milliaria circa Monasterium consistenti grauia, Vestrâ culpâ inferuntur, & eò grauiora, quò diutiùs resistetis, inferentur? Poterisne Tuis viribus hostilem retrudere impetum, & Tua conscientia tot Religiosorum eluere sanguinem, qui fundetur, dum furor exacerbati militis Vestram superabit temeritatem? Meliora tandem consilia capessite Patres, antequam Vos furor hostilis extremo inuoluat discrimine, atque citra omnem placationis spem in Vestri Monasterij busto consepeliat.*

Literæ interim venerunt à Vitembergio ad Patres Claromontanos, quarum hoc transumptum est.

Vitembergij Literæ minatoriæ.

Reuerendi, Deuoti, Doctissimi, Dilectissimique Domini, & Amici.

CUM *à Domino Generali Leytenant Millero (cui à Regia Maiestate, Domino meo Clementissimo, singulariter iniunctum est, quatenus ille vnà cum suis militibus, versus Monasterium Czestochowa, ibidem locum præsidio muniturus, & in tutelam ac protectionem Suæ Regiæ Maiestatis recepturus pergeret) informatus sim; qualiter Vestræ Dominationes tempore aduentus illius erga ipsum se exhibuerint, vt nec in minimo cedere volentes, eidem totaliter rebellizare præsumpserint: cùm tamen Regiæ Maiestatis ordinationi & mandato omninò esset parendum; ideò Vestras Dominationes hisce præsentibus monendas esse volui, vt ab hac pertinacia in posterum desistant, & præfato D. Generali Leytenant Millero, non ampliùs aduersentur: Verùm ad Vestrum maius bonum, quos illuc Serenissima Regia Maiestas pro Præsidio destinauit, beneuolè suscipere & acceptare velint. Dñationes Vestræ assecurantur, nullum exinde dolorem & damnum reportaturas, sed semper in bonâ tutelâ ac protectione permansuras fore; secus si Ve-*

stræ Dominationes à Vestrâ pertinaciâ desistere, & præfato Domino Generali obtemperare noluerint, persuadeant sibi ideò, punitionem seueram imminere, ex qua etiam alij exemplum sint habituri. Id verò nemini alteri, sed Vobis ipsis imputandum erit. Hisce Deo Vos commendo. Datum Cracouiæ, die 21. Nouembris. Anno 1655.

Vestrarum Dñationum Amicissimus

Arsuidus Vitembergius mp.

Religiosi procrastinant responsum.

AD tot importunas obsidentium instantias, visum est Patribus Claromontanis respōsum procrastinare, difficultates nouas in dies obtendendo, quibus hostis distineretur, ne Suetici præsidij positionem accelararet: tandem vehementissimis expostulationibus adacti responderunt: sibi esse sufficiens præsidium ad quosuis insolentium hominum incursus arcendos & comprimendos. Excellentissimus D. Generalis Præfectus, non dedignaretur bonâ voluntate Religiosorum esse contentus, quòd illi se suaque omnia cum Monasterio integra Regi Suecorum seruare, fideliterque consignata in manus eius resignare parati essent, vt hac demissione Clementiam Regiam emererentur, quam ne sibi Millerus inuideret, orârunt Patres, & per omnia Sacra maximè loci celebritatem, & Dei Matrisque illius intemeratæ honorem, obtestati sunt: siquidem in Monasterio præsidium Caluinianorum & Lutheranorum nullatenus poterit saluâ loci securitate consistere, paratis Catholicis, quas voment ipsi contra Deiparam Virginem blasphemias, sanguine diluere.

Tandem negant deditionem.

Responso versus in furorē Millerus, præcisâ omni spe dilationis ad componendum, cineres & fauillas Monasterio & Templo minitatus est; & ne inanes viderentur minæ, biduum tormentis grandioribus crebriùs quàm aliàs intonuit, sphæris tamen igneis Magistrorum conatus & operam ludentibus. Pepercerunt pyrio pulueri & tormentis prima die Claromontani, minoribus tamen fistulis nullam occasionem prætermiserunt, quin obuios quosque sternerent, quâ fuit copia hostis feriendi. Postridie grandis ab eis machinarum fragor excitatus non irrito euentu; multi enim tunc Suecorum sensibus, & vita exuti, pœnas temeritatis dederunt.

Mutuo se impetunt tormentis.

Septima dies Decembris (quam piâ consuetudine sicut & reliquos dies, Festa Deiparæ Virginis anteeuntes, xerophagia colere Polonis vsitatum est, arctiore se castigatione carnis ad crastinam solennitatem disponentibus) felix Claromontanis illuxit; quâ Patres quasi è busto Patriæ reuiuiscere, atque in spem meliorem erigi cæperunt. Nam G. D. Petrus Sladkowski, Prodapifer Rauensis, à Suecis intercep-

Sladkouius à Millero missus ingreditur Monasterium, & contra mentem Milleri dissuadet deditionem.

ptus, ex Prussia rediens, à Millero submissus tentandæ deditionis ergo, nuntiauit Patribus: quòd Suecorum Regis exercitus insignem cladem acceperit, quodué Ducibus Legionum Polonicarum, quæ Regi Suecorum adhæserant, in partem Serenissimi IOANNIS CASIMIRI, Regis Poloniarum, transire decretum esset: eò, quòd Rex Carolus subactâ penè Maiore Minoreque Polonia, nihil commoda Regni eiusque defensionem curaret, qui se cum Copijs in Prussiam transtulerit, dum inter incudem & malleum Cosacos & Moschos ad extrema redacta pericula, opem ipsius Respublica flagitaret maximè, ita, vt exciden dæ potiùs Poloniæ videretur sequi cõsilia, quàm protegendæ, quod ab initio belli suscepti præsetulerat. Nam interim ingentes sunt exortæ, Sacrarum ædium domorumque Nobilium expilationes, Sacerdotum trucidationes, Sacrorum contaminationes, stupra virginum, omnium Iurium conuulsio, dato in prædam vniuerso Regno licentiæ militari, citra culpam aliam, nisi Deo vlciscente, fractam IOANNI CASIMIRO fidem. Retulit idem, omnes Quartianos (ij sunt Polonorum Triarij) qui ad latus essent Sueci, stare à partibus Regis Poloniæ, modò ad Regnum defendendum properaret, de quo certum esset, valido exercitu conscripto, in subsidium afflictæ Patriæ breui compariturum. Breuem moram tolerarent Patres, dum ipse ad Serenissimum Regem Poloniæ

Poloniæ in Silesiam rediret, auxiliares Copias illic impetraturus, vel eas, si libuerit, Regi adducturus.

Redduntur literæ Cracouiá per Brzuchanski, & ab eodem Patres confirmantur

Alterâ die, quæ Conceptæ Virgini sacra fuit, Hiacynthus Brzuchanski, Ciuis Częstochouiensis, sagatum imitatus Equitem (non enim aliter excubitores euasisset) super fossam elatus nuntiauit, Cracouiâ ad demoliendos Monasterij muros, cum ducentorum peditum agmine sex muralia duci tormenta: nec non pro subsidio Serenissimo Regi CASIMIRO, ingentem aduentare Tartarorum exercitum. Hæc cursim locutus, dextrè intra muros iecit literas ex Conuentu Cracouiensi P. Antonij Paszkowski, quibus tyrannidem & rapinas Suecorum detestatus, Patres sui Ordinis Claromontanos monuit obtestando, ne ab hoste verborum comitate elusi, paterentur sibi iugum Sueticæ seruitutis imponi, sed vt omni possibili conatu, ab impiæ gentis ausibus se defenderent constantes: non enim (aiebat) fides, non pietas, non quidquam diuinum aut humanum sanctum eis est, & integrum, per pacta, manu & fide publica firmatum.

Monentur Religiosi à Scytha, ne faciant deditionem.

Sed & nuper Scytha quidam barbarus à Castris Suecorum veniens, cùm impetrasset se ad Monasterium cum Quartianis deuotionis causa intromitti, lustratis Sacris Ædibus, animosè ad stuporem audiẽtium hortatus est Religiosos, ne hominibus impuris, & fœdifragis, Locum Castissimæ Virgini Sacrum dare velint

re velint in poteſtatem, certò promittens, ſi pro virili reſtiteritis, ab obſidione Monaſterij diſceſſuros inglorios & confuſos. His ideò nuntijs accreuit obſeſſis animus, in tantùm, vt quamuis ſcirent à Vitembergio horrendas murales machinas eſſe ſubmiſſas, nihil perterriti ſe ad ſtrenuè defendendum Monaſterium omnes accingerent.

Suecus in Virginem Beatiſſimam blaſphemus perimitur.

Eadem Conceptæ Virginis ſolennitate, de colluuie Suetica miles, hoſtes Deiparæ blaſphemus, poſtquam in Curia D. G. Thomæ Przerembſki, in Villa Rędziny, fœtentibus buccis Honori Virgineo obſtrepuiſſet, ad Caſtra rediens, iaculo tormenti præter intentionem Magiſtri errante, & à niuibus reſiliente, in foribus Monaſterij Sanctæ Barbaræ comminutus, iuſtum Deo vindice retulit ſupplicium: indignus Solem videre iudicatus, qui lucidiſſimæ æterni Solis obtrectaſſet Parenti.

Tormenta Cracouiâ aſportata, tacitè diſponuntur à Suecis.

Duobus alijs diebus, remiſſiùs egit hoſtis, ſphæras pyrio puluere offertas, funiculis canabeis picatis reſinatiſque obtortas, globos ferreos igne candentes iacere ſuper tecta Monaſterij contentus, abſque vllo detrimento, Claromontanis rectè ad eas ſopiendas feſtinèque deuoluendas vigilantibus. Tormentorum deinde grandium diſpoſitioni, opacâ nocte diligenter incubuit, quæ tanto ſilentio contra muros ordinauit, & applicuit, vt non priùs ab excubijs quanquam in ſomnibus ſentirentur applicita, quàm horrendo

rendo fragore mediâ nocte ad penſum precum matutinarum Religioſos excitâſſent.

Non ſatis exſatiari poſſe ſuam animi ferociam, Caluinianæ ſuperſtitionis aſſecla ratus, ſi ſeruos Deiparæ Virginis armis laceſſeret, niſi etiam furori ſacrilegium adiunxiſſet, expugnandi dies ipſius cultui ſacro deſtinatos. Quemadmodum etenim die Virgini Præſentatæ deuoto, Monaſterij oppugnationem adorſus eſt, ita eam Sabbato, grauiſſimè vrſit in contemptum Orthodoxorum deuotionis, vt ſic ipſis cultoribus tunc oppugnatis, dolorem infligeret grauiorem. Inferorum fauces Pluto aperuiſſe contra Sacram Ædem viſus eſt, dum ab aurora ita crebris & horrendis intonuerunt machinæ murales fulminibus ab Aquilone & Auſtro, vt trecentos & quadraginta globos eo die vomuerint, quod non nemo Religioſorum obſeruauit, & numerârunt externi. Patres Claromontani, in Sanctuario Virginis Beatiſſimæ pro more ſuo deuotioni tunc indulſerunt, ſupplicationem ſingularem eo die cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento facturi, ad quam cum diuinâ re peracta inter pomerium procederent, ruebant murorum grandia fragmenta, & globi ferrei (quorum ſinguli pendebant vicena & ſena pondo librarum) ſibilantes, non ſine maximo terrore præteruolabant capita ſupplicantium, nemo tamen in tam atroci diſcrimine muros aſcendit ante ſupplicationis finem. Eâ demum

Vehementiſſimè tota die oppugnatur Monaſterium.

Patres ab oratione periculo non auocantur.

mum absoluta, Diuino confisi auxilio, partitis inter se officijs, quotquot erant vtriusque sexus intra Monasterium homines, fortissimè ad defensionem quisque iuxta virium portionem operam contulerunt. Tres tum in stabulo equi conciderunt exanimes sphæris ferreis icti, rotæ duæ grauiorum tormentorum in Aquilonari propugnaculo fractæ, & vnum ex ijs à parte anteriore in ipsa crepidine pertusum, tres ibidem iuuenes vno omnes Ioannis nomine insigniti occubuerunt, capitibus ictu globorum maiorum reuulsis; occiderunt & alij quatuor eiusdem nominis diuersis temporibus, vt fatale videri posset, vi tormentorum destinatum, qui esset Ioannes. Et quanquam hi casus nonnullam perturbationem defensoribus attulerant; nemo tamen à suscepto, vel designato sibi opere animum manumque remisit, omnes alacri curà necessaria defensoribus arma suppeditabant; pars tormentorum rotas voluebat, pars dirigendis in hostem allaborabat, pars saxa, terram, ligna, trabes, fimum ad obstruendum hiatum, quem in muri fastigio creber tormentorum diffiderat impetus, comportabat. Promptè hoc gessit negotium ætas, sexusque imbellis, dum iuuenes viri que ferreis fistulis hostilium tormentorum Magistros exercerent, ne expeditum esset ijs ad certum scopum illa dirigere proprio discrimine perturbatis, & plerosque ad pedes suos glandibus plumbeis ictos, procumbere cernentibus.

Tres equi pereunt.

Tres adolescentes sub vno Ioannis nomine pereunt.

Obsessi omnes defensioni incumbunt.

Quieuit

Quieuit hostis à meridie, percontaturumque misit tympanistam, an in meliorem adducti sententiam Patres, vellent sibi consentire, Præsidiumque Regis Sueciæ, tanquam Protectoris Regni Poloniæ, admittere. Postquam responderunt se in crastinum diem deliberaturos, indignatione frendens, laxatisq; habenis furori, maximos iterum ignes horrendaque tonitrua iecit, ingenti fragore aërem terramque tremefaciens, & caninâ penè sagacitate obiens propugnacula, vt faciliorem aditum muris aperiret. Repressus nonnihil casu, resedit furor ipsius; dum quinque tormentorum Ministri, pulueris accensi flamma exoculati sunt; Magister item globo maiori petitus, pœnas sacrilegi ausus exsoluit occasione huiusmodi. In Orientali propugnaculo erat director machinarum Germanus, qui nunquam fidem Patribus probârat in hoste feriendo; is cùm plagam liuidam ab hostili tormento in femore accepisset, vel admonitionis Diuinæ conscius, vt rem ageret fideliùs, vel dolore irritatus, ita probè direxit machinam, vt hostile tormentum ruperit, puluerem nitratum dissipauerit, & in Magistrum sic globo impegerit, vt finis vitæ illius posuerit terminum ferociæ Præfecti.

Quinque tormentorum Ministri in Castris excæcantur.

Tormentarius Conuentualis malæ fidei casu corrigitur.

Dies Dominicus manè vocauit hostem ad quietem, quo in casa rustica exercitio superstitionis suæ cum socijs vacauit: moræ tamen impatiens, eam non diuturnam concessit obsessis, sed meliore vti spe-

rabat

Continuat oppugnationem hostis, & ad deditionem solicitat.

rabat euentu proditorum consilijs adductus, ad oppugnandum Occidentale propugnaculum cum machinis progressus est. Verùm irrito conatu: etsi enim fortasse optatum habiturus fuisset persuasorum hortatu exitum, si primam inde oppugnationem tentasset. tamen quia obsessi propugnaculo illi muniendo, operâ ac industriâ G. D. Petri Czarniecki noctis beneficio adiuti, minimè defuerunt, frustra illuc omnem machinamentorum apparatum conuertit. Postquam crebriore fulgurantium machinarum fulmine operas lassauit, suppudere cæpit hominem ex parte illa tentatæ aggressionis, spe non mediocriter labantem obtinendi ampliùs Monasterij, quando exploratæ non ad animi sententiam proditionis artes cessissent. Solicitauit igitur per nuntios ad deditionem animos obsessorum, qui eis priorem occinuerunt cãtilenam: *In re tam arduâ deliberatione diuturna opus esse.*

Sueci noctu ad ignes feriuntur.

Rigidior hyems eo iam tempore non benè vestitos vrgebat vehementiùs: proinde cùm ad vegetanda stipata frigore corpora, frequentiores noctibus ignes cum ingenti ædificiorum iactura Sueci accenderent, non incertam flamma duce feriendi se metam præbebant. Vsi sunt occasione Claromontani hostem infestando tormentis, donec crebriùs vitâ periclitatus, patientiâ claustrali magistra didicerit, vtiliùs igni renunciare quàm vitæ.

Silet

Quiescunt mutuò.

Silet luce posterâ Millerus, varijs laboribus fatigatus, firmioraque conquirit à Commilitonibus consilia, quibus potiri votis queat, alioquin perpetuâ ignominiâ nominis serâ posteritate notandus. Subit animum persuasio Venceslai Sadouij Bohemi, aliquot Centuriarum Præfecti, qui alium potiùs militem mittendum ad oppugnationem Monasterij suadebat, si Generalis Præfectus liberam à conuitijs Monachorum, longâ ætate voluisset famam tueri. Neq; Claromontani ea opportunitate abutuntur in medijs ad reprimendos insultus hostium inueniendis accurati: aptant clauas ferreis armatas dentibus ad contundendos murorum occupatores: contos, perticas, palangas, trabes, lapides ad submouendos inuasores tempestiuè comportant: terram & rudera exæquandis muro aggeribus subministrant, illudque agunt nauiter, vt tot iam firmati malis, maiore constantiâ & apparatu hosti resistant, non ampliùs de admittendo præsidio Suecorum cogitantes; nec vllam occasionem feriendi postea hostis deseruêre illi, qui murorum custodiam seruabant.

Nepos ex fratre Milleri interficitur.

Factum est eius diei crepusculo, vt Director tormentorum, ferream fistulam maiorem de die ordinatam, contra Milleri stationem exonerauerit: eâ fortunâ, vt decumbentem ex sorore Nepotem, globo per sinum adacto in viscera, exanimem affixerit lecto auunculi. Casus hic manebat Millerum, nisi ferali

Q sponda

ſponda Nepoti ceſſiſſet, cui magno impendio is honor ſtetit vita exſolutus. Eu ſceratum funus lugubri ſpectaculo, nihil deterrere potuit à conceptæ ferocitatis impietate Millerum, nihil cogitantem, à quanto fuiſſet ſubductus diſcrimine, ac ne ſe par attingeret ſupplicium, haud metuentem. Stimulauit potiùs grauis dolor animi furias, vt experiretur, quidquid vltrix mens conſiliorum ad diruendum, & ſolo æquandum Monaſterium poterat ſuggerere. Itaq; ſepimenta continendis aggeribus accommodata texit, conquiſitis ad eam operam vndelibet ruſticis, necem reluctantibus interminatus: traxit ad deſtinata loca per operas eaſdem terra ruderibuſque opplenda,& raptim feſtinando proximè muros depoſuit. Obſeruantibus interea prudenter excubijs, quando maiore numero ſuperueniſſent ad ordinandas, quas ſic comportârant viminibus, ſepibus, cratibuſque, ac trabibus contextas loricas: cùmque turmatim acceſſiſſent eas diſpoſituri, niuis beneficio à Claromontanis deprehenſi, expectatam Auſtralis propugnaculi tormentorum Magiſtris præbuerunt metam, ne caſſo euentu nitrati pulueris & globorum facerent iacturam. Libratis itaque tormentis, ſic illas operas exagitârunt igne, plumbo, ſphæriſque ferreis, vt hoſti neceſſariò fuerit intermittendum, opus frequenti ſuorum ſanguine perfuſum.

Parantes noua ſepimenta perimuntur.

Poſtquam verò dies illuxit, ecce machina oppugnatoria per noctis tenebras rotis aduoluta, contra propugnaculum conſpicitur, cuius adminiſtri à præſidiarijs Monaſterij fiſtularum ignibus, & plumbeis glandibus diſperſi, machina verò helepoli confracta eſt & diſiecta.

Machina oppugnatoria diruitur.

Caligine inuoluerat diem alteram nubes obſcurior, hoſti plùs detrimenti, quàm Religioſis afferens: nam vt eius auxilio ad foſſas eruendas is erat audacior, ita in frequentiore metâ Claromontanorum tuborum tonitru, plures operi inſudantes, per tenebras luce priuauit.

Hoſtes per nebulam audaciùs operantes, cæduntur.

Surgebant verò per hos dies & noctes ferè ſingulas nebulæ,fortaſſis malorum geniorum operâ(quod ex euentu non difficilè colligi poteſt) humorum fœtentium denſitate functiones oculorum adeò impedientes, vt teſtudines grandes,cùm propè muros contra vtrumque ab Aquilone propugnaculum rotis aduoluerentur, aut ſportæ comportarentur, nullo pacto videri poſſent,niſi ijs diſcuſſis ſacris Exorciſtarum precibus. Quare vni ex Patribus fuit commiſſum, vt contra hoſtiles præſtigias vim Diuinæ poteſtatis exereret, purgaretque Exorciſmis obfuſcatum aërem, ac apparatus propugnatorios benediceret, quod ab eo factum ita ſucceſſit, vt artibus maleficis, & omni opere præſtigioſo diſſoluto, tenebræ aëris diſijcerentur, ictus proſperarentur fiſtularum, hoſtes denique malis artibus, & nefandis cacodæmonum teſſeris arma-

Nebulæ benedictionibus diſpelluntur.

Iisdem benedictionibus ictus bombardarum proſperantur.

armati prosternerentur. Creuerat inde in Castris hostilibus prouerbium: *Czestochouienses Monachi insignes malefici sunt, virorum nostrorum fortissimos, ne quidquam eos iuuantibus geniorum suorum pactis, suis prosternunt incantationibus; sic præclarum Commilitonē nostrum* (fuit is in prima Claromontanorum eruptione cæsus) *septem paredris stipatum, triginta prælijs victorem, & ne vnico vnquam capillo læsum, stupentibus nobis, illi artes suas, alias salutares non profuisse, interfecerunt.* Atque inde facili negotio causam assequi possumus, quam ob rem passim audiretur in obsidione Clari Montis; ex Succorum exercitu plures Officiorum Præfectos cecidisse, quàm milites gregarios; illi enim cacodæmonum familiarium notis confisi, audacter in pericula ruebant, & ideò peribant; hi verò arte simili destituti, discrimina fugientes, vitam faciliùs conseruabant.

Suecus septē dæmonijs stipatus interficitur.

Ex militibus Sueticis plures cædebantur Officiari quàm gregarij.

Hic funeribus suorum hostis debilior, ab Occidentali propugnaculo manum & pedem retraxit ad Orientale, in quo tormentis, eorumque Magistris irrito labore fatigatis, hoc duntaxat effecit; vt vnus adolescens Ioannes globo ferreo per spinam dorsi discerptus occubuerit. Sed & ipsimet Millero horum dierum aliquo illud contigerat horrendum, scilicet vnus ex militaribus Præfectis, dum in interiori domus penetrali cum eo familiariter dissereret, iaculo ferreo

In præsentia Milleri miles ab ictu globi corruit exanimis.

ferreo per latera transuerberatus, in facie Milleri corruit, voce ac spiritu simul subitò interceptus.

Duo interea Nobiles Poloni expugnatum iri Monasterium timentes, illinc abducturi, vnus duas Sanctimoniales sorores, alter Coniugem & filiolum, ne quid deterius ab expugnatione paterentur, Millerum adierunt petentes, vt sibi ac ipsis liceret sub suâ potestate manere. *Vt video* (inquit Millerus) *Monachi Czestochouienses viri Heroici, neminem pro sua prudentiâ & animositate patientur Monasterio dimitti. Verùmtamen fortunam vestram, & virtutem eorum probaturi pergite.* Dum ad Monasterium veniunt N N. nullam abducendi quempiam facultatem obtinent, prudenter quippe cauebant Patres, ne dimissione aliquorum hostes conclamatum putarent de eorum viribus, neque vllam spem defensionis ampliùs superesse obsessis. Intulit subinde Millerus: *Nonnè dixi Monachos, pro sua heroicâ animorum generositate, Vestræ petioni nihil concessuros, quales abhinc profectò non putâssem, si in præsenti rerum suarum tempestate votis Vestris obsecuti fuissent.*

Duo Nobiles petunt suos ex Monasterio dimitti.

Multos eo die conturbauerat pertinax hostium in expugnando labor: tum & mors adolescentis, ex ingenti vulnere atrocissima, & præcipuè desperantium Nobilium erga propinquos importuna Monasterio pietas. Religiosorum quoque nonnulli timore mali, laborumue molestâ perpetuitate, maximè vero ho-

Turbantur obsessi, & in deditionem mouentur.

rò hostium prospero contra Polonos successu, in sententiam mouebantur deditionis. *Supremus*, aiebant, *rerum Arbiter, pro suo iure perdendi, aut transferendi Regnorum Dominia, Regnum quoque Poloniæ iusto suo iudicio Suecorum iam tradidit potestati. Nos residui sumus, qui benè maleuè persuasi certè impares ad resistendum eorum potentiæ reluctamur: cùm tamen monente Christo, nostrum sit aleam fortunæ sequi, & fugere persequentes, non Martios ciere strepitus: & eò magis, quod ab hoste cum possessione bonorum, liberum Nobis, Religionis, & Instituti Nostri, exercitium vltrò concedatur.* Hæc inter se crebris agitantes sermonibus in Regulari Congregatione, pristinæ redditi sunt animositati, in hunc modum fraternè correpti. *Terret Nos imbelles ab obsidente hostium exercitu, imminens ceruicibus Nostris periculum PP. VV. quod etsi procul dubiò horrendũ est, non est tamen adeò immane, vt Nostram in tuitione honoris Diuini, & propriæ salutis labefactet constantiam. Attamen quoniam diuinitùs permitti sentimus, Nos & nostra omnia, sacra & profana, Hæreseon arbitrio posse committi! fiat sanè: modo deinde iustum & necessarium esse minimè ambigamus cultui Diuino, & Domus Dei prouidere decori, quatenus sufficientibus non destituatur ministris, & ad ritus Sacrorum ex debito Nobis obeundos, & ad laudes Diuinæ Maiestati, pro honore & exigentiâ Loci Sacri continuò persoluendas. Postquam igitur sententijs Nostris constitutum*

Obsessi redduntur animosiores à Superioribus.

stitutum fuerit, Suecorum Nos imperio mancipatum iri; ingenuè PP. mentes Vestras aperire velitis? qui Vestrum pro gloria Dei Sacrum hoc negotium suscipere non abnuetis. Nobis equidem aliquibus semper integrum est, fugere gentis malefidæ consortium, qui tyrannicum eius dominium perpetuò detestamur. Cùm verò sigillatim requisiti Patres se in silentio tenerent omnes. Superior subiecit: *Aduertite Fratres, quo spiritu ducti hostium, prætenso furori subduci cupientes, in fidem Suecorum cum rebus Nostris, & Loco Sacro venire cogitemus. Mons Clarus, Religione Catholicâ, necnon potenti ac munifica in omnes Dei manu Orbi notissimus est, & ideò Sueco Religionem Orthodoxam extremè detestanti execrabilis; hunc igitur si nos ei protegendum credimus, nonnè veriùs est, quia eius impietati profanandum relinquimus? & quidem incauti magis quàm inuiti, cùm & Nos pro viribus Nostris, ac loci beneficio, possimus cum Dei gratia, & hostium propulsare violentiam, & nostram salutem non incommodè tueri. Quæ verò nostra fides! quis amor? quæ ad Deum in nos tam munificum, gratitudo leui discrimine temporalis commodi, à tutando conseruandoq; cœlestium donorum æterni Regis Sacrario abduci! vtique non dubitemus esse consultiùs, Domus Dei, Sacræ Religionis, & Nostras tutari simul immunitates, quàm cum horum omnium iacturâ, exilium aut seruitutem subire perpetuam. Constet sanè non alio modo certiùs rerum nos, & libertatis Nostræ naufra-*

naufragium facturos, quàm si cœtus Noster Religiosus, & Mons Sacer, omnibus Hæreseon sectis exosus Suecorum tradetur voluntati, sacrilegis erroribus depravatæ. Quid autem est, quod obstat continuandis pro Deo conatibus Nostris? apparatus defensioni necessarius Nobis sufficit, curandis honestè corporibus alimenta suppetunt, labor indefessus, & inuictum animosi militis certandi studium, spem facit bonam victoriæ. Subsidia sperare iubent impermutabilis hominum pietas in locum hunc, & multæ aliæ iustæ rationes; quæ si fortè spem Nobis fecerint irritam, vtique Deo, cuius causam gerimus, quis impius diffidere præsumet? Aderit ille, & studia secundabit Nostra, dummodo benè animati tolerandos labores strenuè ipsius consecremus honori.

Literæ in fossa superiores reperiuntur.

Profectò festinauit adesse Diuina clementia, & omnes eâ perturbatione deiectos, in meliorem spem erexit: nec præsagium caruit euentu, postquam literæ in fossa repertæ sunt, quas G. D. May, Sandomiriensis oræ Incola, significando Tartaros Serenissimo IOANNI CASIMIRO, Poloniarum Regi suppetias ferre, fratri in Siradiensi tractù degenti scripsit, hic autem stans supra fossam, casu eas dimisit; atque ita postliminio ad pactam verbo constantiam omnes sunt reducti.

Aggreditur hostis Monasterium à parte Austri.

Pertentatis propugnaculis ab Aquilone, ad partem Australem rursus deuenit hostis, non ita murorum soliditatem experturus, cui iam ante satis esset cognita,

cognita, sicut faciliorem habiturus modum ad ignes in tecta Templi iactandos, vel etiam ipsius mœnia quassanda, quæ ob crebra fenestrarum altiorum interualla, facilè diruenda sperabat. Plurimùm igitur laborauit in parietibus Templi, tàm externis quàm internis vasto globorum pondere conuellendis, vel labefactandis. Complures deinde ignes sphæris reconditos in tecta Sacellorum iactauit. Quo negotio ab ortu Solis ad meridiem occupatus, tandem vel pilarum huiusmodi defectu mitior, vel sedulo labori ministrorum indulgentior quieuit, illud maximo conatu & operâ consecutus, quod portæ valuas grandi & igne candenti globo perterrebrauerit, trabemque pontis sublati superiorem, & quatuor bombardas è muro pendētes comminuerit: tum & illud terribiliùs, quòd altero globo ferreo, interiori Ædis Sacræ parieti per fenestram ingenti fragore illiso, totam pulueribus calcis oppleuerit, ita, vt terrore fracti Religiosi, existimantes funditùs Templum ruere, Officio Diuino interrupto, fugâ se proximæ (vt putabant) ruinæ subtraxerint.

Religiosi è Templo ictibus globorum fugantur.

Nobiles obsessi conueniunt Superiorem, & vrgent deditionem.

Hinc aliqui Nobilium, prudentiâ & rerum experientiâ viri præcipui, obsidionis angustiarum & laboris pertæsi, siue iam tot periculis exterriti, conuenerunt Loci Superiorem, præsente tū Patre Ioanne Stradomski, Clari Montis Ordinario Prædicatore, petentes: quid cunctabundus expectaret? cùm diligenter præ-

ter præſentem rerum ſtatum conſiderantibus, & in extremo diſcrimine conſtitutis, nulla penitus ſubſidij ſpes affulgeat; & hoſtis, qui toto Regno potitus eſt, ab obſidione Monaſterij (quod vnicum ei ſupereſt expugnandum) nequaquam deterreri poſſit, inutili defenſionis noſtræ conſtantia: mirum proinde videri ſibi, quid obſtaculo ſit, quominus cum hoſte componat, neceſſitate ipsâ omninò id flagitante, vt cum eo concludatur rebus noſtris integris, hoſte præſertim oblatis à nobis Conditionibus acquieſcente, quod paulò poſt futurum exaſperato illo, ac noſtris attenuatis viribus ſperare minimè poſſumus. Quibus reſponſum: *Non omnia, quæ intendimus, nobis ab hoſte conceduntur; volumus autem Locum hunc Puriſſimæ Virgini Sacrum, impio Hæreticorum pede nunquam calcari. Vos Generoſi DD. fracti calamitatibus compoſitioni ſtudendum ducitis, vt moleſtiis obſidionis ſoluti, belli renunciantes incommodis, in optatâ pace omnis deinceps perturbationis expertes maneatis; putatiſne ab omni belli calamitate vos noſtrâ deditione immunes fore, poſtquam Monaſterio exceſſeritis? Non eſt mihi, credite, Rex Noſter* CASIMIRVS *adeò animo conſternatus, & Regni oblitus, vt de illo ſibi violenter erepto nolit, vel non poſſit contra inuaſorem armis decernere; faciet profectò, ac multi pro debita erga Principem fidè & pietatè principes & ſubditi, fidelem ei operam in eo recuperando nauabunt. Aduertite deinde, quid ſubmiſ-*

Datur Nobilibus reſponſum, & negatur deditio.

ſubmiſſione hac lucraremur; fieret id, vt qui nunc glorioſè pro DEO, Rege, & Patria, contra impietatem Hæreticorum agere grauamur, inglorij & inuiti pro impietate Hæreticâ decertaremus, vel quod certiùs eſt, tanquam ſuſpecti & infideles Monaſterio exturbaremur. Malorum igitur & moleſtiarum grauiorum nobis poneret fundamentum cum hoſte compoſitio, ſin modicum incommodum ſuſtinentes hoſtium pertinaciam, Deo iuuante ſuperauerimus, pacis certam ſtabilitatem certiſſimè conſequemur.

Poſtridie per præſidiariorum fiſtulas, aliquot è ſuis milites hoſtis deſiderauit, ipſe remiſſiùs egit, nec quidquam detrimenti attulit obſeſſis, Deo ſingulari opè ad preces Deiparæ Virginis Cultores ſuoſ protegente.

Ante aliquot dies cum licentia Milleri, acceſſerat ad mœnia Monaſterij G. D. Alexander Iaroſzewſki de Lubidza, prætextu quidem Coniugis Monaſterio educendæ, veriùs autem ſignificandi gratiâ, argentum inuentum eſſe à Quartianis, (fuit autem argentum hoc limoſo ſtagno immerſum, & à militibus piſcandi gratiâ aperto aquis deſcenſu repertum) quod illi agnoſcentes eſſe Eccleſiæ Claromontanæ, deportare voluerunt, quò Patres indicâſſent. Quia verò loqui hæc palàm Patribus non potuit, præſente ſibi paraſtate, ſcripto cautiſſimè relicto abijt, nec audiuit reſponſum. Interim de caſu factus certior Generalis, extradi

Argentum Monaſterij aquis immerſum, à Quartianis inuenitur.

Offert Millerus argentum Religiosis, si in deditionem consenserint.

extradi sibi argentum præcepit Quartianis, & commodissimam eam nactus occasionem, deuincendi & inclinādi animos Religiosorum in deditionem Monasterij, specioso beneuolentiæ argumento toxicum mellitis verbis conditum, vnde non mediocre discrimen titubationis obortum fuit, Conuentui propinauit, per insignem de suis Stipendiarijs Equitem Polonum, adiunctis ei pro more socijs in hunc modum: *Illustrissimus D. Generalis, pro innatâ sibi humanitate, & Loci Sacri obseruantiâ, votis expetit ardentioribus, vt post tot inutiles ambages verborum, & calamitates, quas ob Vestram temeritatem pati debuistis, meliora capessentes consilia, rerum Vestrarum integritati diligentiùs studeatis. Euersionem Monasterij tam celebris non intendit, nisi Vestra adactus inobedientiâ; sed nec bonorum eius diminutionem; quinimò intendit augmentum, nam & argentum Vestrum, quod inuentum in manu illius est, plene Vobis restitui faciet, & singularibus alijs beneficijs locum hunc cumulabit: dummodo non inuiti morem gesseritis Regi Sueciæ, & præsidium receperitis, quod ille prouidendo bono loci, quantùm fieri poterit dabit Catholicum, & Ducem Hassiæ virum bonum & Catholicum eidem præficiet, Vester & ipse singularis Protector futurus. Pensate ergò Patres beneuolentiam Illustrissimi D. Generalis, & Vestræ indemnitati maturiùs consulite, vt non deteriora sequantur quàm passi estis. Non enim fieri potest, vt non*

Præsidium promittit Catholicum.

fracta

fracta arroganti temeritate Vestrâ, vir in re militari tantæ æstimationis & autoritatis semper fortunatissimus, rebus infectis hinc discedat, & honorem nulla vnquam labè contaminatum prostituat. Ad hæc responsum est à Patribus: *Illustrissimo D. Generali iam ingenuè aperuimus, Nos, & Monasterium Nostrum, & esse nunc, & in posterum fore semper in Regiâ potestate. Non igitur rebellionem temerè, sed necessariam loco pacem piè & consultò quærimus. Nam si præsidium Hæreticum semper blasphemum in Locum Sacrum, vt in dies experimur, inter impatientes Dei & Sanctissimæ eius Matris iniuriarum Catholicos admiserimus, pax quî constabit? Deinde præsidio hoc superinducto, veniens vndequaque deuotionis causâ hominum diuersæ conditionis multitudo, quorum hîc liberalitate sustentamur, aut exarmabitur! aut quod magis timendum, non admittetur! quæ proinde pacis sed & vitæ sustentandæ ratio nobis relinquetur? Consideres ergo G. D. qui Religione Catholicus es, & gentis Polonæ mores & feruorem deuotionis nosti, vtrum conducat nobis Sueticum præsidium induci? Atque his de causis componentes cum Illustrissimo D. Generali, petijmus præsidij Nostri Præfectum Polonum Catholicum constitui, à Nobis proponendum. Quam Prouinciam Tibi præ alijs Generose D. si placuerit demandari exoptamus. Quod spectat ad restitutionem argenti, gratiam quidem Illustrissimi D. Generalis acceptamus, conditionem minimè; qui honorem*

Patres in deditionem non consentiunt, ex rationibus.

 Dei,

Dei, & Sacrorum immunitatem æstimamus omni plùs thesauro: verùmtamen & argentum, ob virtutem & innatam Polonis pietatem restituendum nobis confidimus, Deo enim Sacer est thesaurus.

Argentum à Quartianis restituitur Monasterio.

Nec vana fuit de virtute Polonorum spes argenti restituendi: namque ab obsidione solutâ, per manus Illustris & Admodum R. D. Alberti Rychelski, Officialis Radomscensis, Præpositi Breznicensis, transmisère illud, modica parte ob sequestrum Generalis interpositum penes se retenta, ad sopiendam si quam Rex Suecorum facessiuisset difficultatem. Denegârant autem argentum Generali, quòd illud iure belli ad se pertinere prætenderent: Verè autem, vt erga Locum Sacrum suam luculenter contestarentur obseruantiam, & venerationem, prout eorum docent literæ.

Adm. R̃nde D. Prior Clari Montis Czestochouiensis, Domine & Amice Obseruandissime.

Scribit Religiosis G D. Kalinski.

NON venit Nobis in mentem, quis de reperto argento ad cultum Sanctissimæ Dei Parentis spectante, certiorem fecerit Illustrem D. Generalem, quod sibi dari postulauit enixiùs; cuius voluntati cùm obluctatus fuissem grauiter, aresto illud ad causæ decisionem obstrinxit, vt maneret integrum. Pluris autem æstimantes Supremi Numinis gratiam Equites sub meis signis militantes, quàm vllius humanæ potentiæ vires, generosè

nerosè induxerunt in animum, illud Admodum R. D. Vestræ restitui, eamq; ob rem id in manus Illustris Domini Præpositi Brzeznicensis, & Officialis Radomscensis repræsentârunt, boni amici Conuentus Vestri; attendentes tamen, ne quæ hinc oboriatur difficultas, retinuerunt apud se triginta eius frusta, eadem Admodum R. D. Vestræ remissuri sopitâ causâ; cuius remissionis inijmus modum certum. Cæterùm Admodum RR. DD. Vestras oratas diligenter velim, ne mei sint immemores ad Imaginem Sanctissimæ Virginis, Vestrûm semper studiosi amici, die 29. Decembris, Anno 1655.

Admodum R. D. Vestræ

Fauentissimus Amicus, & ad officia paratus

Seuerinus de Kala Kalinski, Chiliarchus S. R. M. mpp.

SCripserunt eodem exemplo ad Priorem literas Nobiles & Generosi Domini, Nicolaus de Karmina Karminski, & Ioannes Trupski, apud quos argentum hoc deposuerant sui famuli, qui illud repererant. Porrò, ne hæc Equestris cohors frustretur digna virtutis atq; pietatis cõmendatione, annotare libuit ad posterorum memoriam, illam sub signis militasse Magnifici D. Krzeczowski, Equitum Magistri, & eius

vices gerentis G. D. Adami Komorowſki, quorum nomine ſubſcripſit G. D. Morzkowſki, cum manifeſtâ declaratione reſtitutionis reliquarum partium argenti.

Lapicidæ excidunt cuniculos.

Porrò, cùm Millerus deprehendiſſet, Monaſteriū in ſolidâ rupe fundatum, nullis foſſionibus aditum præbere poſſe cunicularijs, vocauit Ilcuſſio latomos, vt noctes dieſque alternantes operam cædendæ inſudarent rupi. Qui, vt erant remoti à Cœnobio, petram detegentes, ſinuoſum eruebant aggerem, ad ictus Claromontanorum eludendos: at cùm non ampliùs inde ſtadio diſtarent, ſtylo celtibuſque petram ſcalpſerunt ſummo labore, colubrorum inſtar repentes, & longâ fatigatione paucis admodum paſſibus in diem progredientes contra Orientale propugnaculum pergebant. Sparſus interea in fauoris ſpeciem rumor increbuit, quòd per meatum à latomis in petra inuentum, hoſtis in aliquot locis puluerem nitratum euertendis Monaſterij mœnibus ſubmiſerit; imò plerique ab hoſte ſubornati ſolicitatores deditionis, famam cuniculorum extendentes, extremum quaſi miſerantes Loci Sacri excidium, conſtanter aſſeuerabant, intra biduum, niſi reſipiſcerent Religioſi, euerſum iri Monaſterium. Multos ea fama de ſtatione propoſitæ defenſionis dimouerat, niſi ſagaciores aliqui, odorati fabulam fraudi concinnatam, animos eorum tenuiſſent, ſic reſpondentes: *Siquidem*

Solicitatores deditionis terrent ſuppoſitione pulueram.

quidem ſuppoſuiſtis puluerem pyrium Monaſterio quin accenditis? quid nitimini obtinere precibus, quod eſt in veſtrâ manu? Nunquid fruſtra gloriamini? Nobis diu ante mori promptum, tandem diuturni & moleſti veſtri laboris fructu potiamini, nec magis noſtri, quod neutiquàm credimus, quàm veſtri miſereamini.

Patres minimè terrentur.

Labor hic improbus hoſtium, quamuis obſeſſis innoxius, tamen moleſtus, occaſionem dedit Præſidiarijs in oppugnatores excurrendi: cùm autem probè ſcirent hoſtem excurſu prætérito vexatum, cautiùs iam per noctes agere, quibus ferè ſomno abſtinebat; vnanimi conſenſu interdiu adoriendi eum, ceperunt conſilium, cui perficiendo diem craſtinam, quæ erat 20. Decembris, præſtituerunt.

Diurna excurſio præſidiariorum contra hoſtē per Zamoſcium.

Itaque horâ primâ pomeridianâ per occultam egreſſi ianuam, de foſſa ſecundum mœnia profunda erumpentes, & aduerſus hoſtium Caſtra Duce G. D. Stephano Zamoyſki, Enſifero Siradienſi, procedentes, primùm Libitinæ dederunt obuios ad foſſam lapicidas, duobus duntaxat vita donatis: inde ad proximam armaturæ ſtationem progreſſi, duo tormenta igni concipiendo inutilia reddiderunt, ignitabulis eorum impactis clauis ferreis. Sublato deinde clamore, palantes hoſtium cuneos animosè proſecuti ſunt ad viam vſque, quæ ducit ex Oppido in pagum, bellico indulgentes furori, & nihil parcentes fuga dilapſorum ſanguini. Centum circiter Equites excubiarum

biarum aduersus nostros procurrerant, qui tormentorum ictibus pulsi, à mœnibus celeriter pedem referre debuerunt, contra quos non cessatum est detonari fistulis, donec in campos Oppido proximos secesserint, & nostri cum præda, vno suorum desiderato, in Cœnobium se receperint.

Cæsi à præsidiarijs hostes Krepicium deportantur.

Biduum quieuit hostis, & à fossis eruendis supersedit; cæsorum etenim corporum curam tum habuit, & quæ nobiliora ex Officiorũ Præfectis diuersis diebus collegerat, Krepicium sepelienda deportauit. Credibile autem est, humano etiam terrore correptum, ab impijs ausibus aliquantùm destitisse: etenim rumor illis diebus ferebat, quòd accumbente mensæ Generali, cum quibusdam Officiorum militarium Præfectis, vesperi exonerato contra tugurium tormento, globus ferreus rupto parietum angulo, inter accumbentes impingens, omnes subuerterit lagenas & calices, & partem mensæ auulserit, vt non expectatis epidipnidibus, metu famem eximente, etiam insalutati conuiuæ discesserint, & ipse Generalis statiua mutauerit.

Inter conuiuantes hostes globus casu irruit.

Apparatu hostili Cracouiâ asportato, obsessi turbantur.

Tertio abhinc die, comparuerunt à longe currus Cracouiâ nitratum puluerem, & aliam armorum supellectilem ducentes; consilium proinde fuit eos tormentis discindi, sed tenebræ nocturnæ hosti fauentes illud euerterunt. Non mediocrem res ea incussit Claromontanis timorem, quem auxerant nonnulli

Nobiles

Nobiles, angustiarum obsidionis pertæsi, ac ideò aliquos ex Religiosis ad deditionem solicitantes, multùm facessebant negotij. Considerantes enim Religiosi rerum præsentium statum, quà priuatis, quà publicis colloquijs & secretioribus consilijs, diuersas & ex aduerso pugnantes concipiebant sententias. Nam cùm aliorum mentes afficeret magna potentia hostis, subsidij nulla spes, furor Hæreticorum ferox, labor in expugnando pertinax, excidium Monasterij facile, irreconciliandus fauor Principis, bonorum interitus, cultus Diuini quod maximũ est exterminatio; trahebantur desiderio concludendæ cum hoste compositionis, vitæ, & obtinendæ pacis amore. *Non decet* (aiebant) *vt Religiosus, qui sæculo abrenunciauit, spiritualem Christi militiam secutus, sagum induat militare, effundatq́ sanguinem, fuga potiùs saluti suæ consulturus. Quod si deficiente annonâ, hosti succumbendum erit! nonnè calamitatem hanc præuenire satiùs tempestiuè transactâ compositione, ne diuturniore nostra deliberatione furor increscat hostilis, & rebus nostris euersis, conditionibus scribendis nullum ampliùs locum concedat?* Verùm ætate ac iudicio grauiores Patres contrarium senserunt, quorum non difficile reliqui iudicium sunt secuti. *Quocunque nomine tandem venerimus* (inquiebant) *in potestatem Suecorum, siue per deditionem, siue violentiam, eadem nos in vtroque casu discrimina manent; præterquam, si hostis iugo volunta-*

Distrahuntur animi Religiosorum.

Seniorum consilijs resistuntur.

luntatem submiserimus, fortasse ab interitu vitam seruare poterimus; nihilominùs (cui enim hostis hic fide stetit) omnibus bonis spoliati, aut Monasterio eijciemur inuiti, aut ipsimet plurimis oppressi malis vltrò cedemus, siquidem arcem hic euerso Monasterio Rex Suecorum cōstituere molitur. Proinde dilapsis nobis (quis enim habitare poterit cum igne deuorante) excidium Monasterij, & extirpatio cultus Diuini, deditionem hanc faciliùs sequeretur, vt & alibi factum conspicimus. Quæ autem necessitas est seruiendi hostis voluntati, & ei nos nostraq; subijciendi, cum annonæ & defensionis apparatus, Dei gratiâ sufficiat? quod vtrumq; secundum rationem suadet, vt contra insultus hostiles tueamur nos, eo præsertim attento, tertio postea, decimo vel die trigesimo, nos ei posse obtemperare, ijsdem vel melioribus conditionibus, interim auxilium miserante Deo aliquod, cui non diffidamus expectantes; iam si potestati eius semel subiecti fuerimus, corrigendi errorem quam deinceps habebimus facultatem. Silemus pulcherrimam standi pro Deo necessitatem, & si res postulauerit, vitam & sanguinem fortiter profundendi: ita, vt quamuis constaret hostem viribus nostris superiorem euasurum, verùmtamen quamdiu occasio daretur, & spiritus superesset in corpore, semper gloriosum foret & salubre, animosè pro honore Dei decertare. Illud diligenter aduertendum, Ecclesiam Dei, & totius Patriæ charissimæ, salutem propugnandam nos suscepisse, dum pro immunitate Clari Montis

Montis decertantes, eò maiori gloriâ & merito, quo grauiori discrimine impios Hæreticorum conatus retundere studemus. Enimuerò, si Supremus rerum Arbiter decreuit Patriam Nostram pristinæ integritati restituere, quod minimè dubitandum, omnis ipsius vigor salutis, à Monte Claro emanauerit necesse: hic enim conuulsis reliquis Patriæ membris, illæsus solus persistit, vbi Gloriosissima cœli Domina, quæ sibi aliquando gratum & decorum duxit à Regno Poloniæ dici Reginam, sedem fixit Regiam, Caput Regni sui constituens, vt vnde gratiarum Dei fons scaturiens irrigat mentes hominum interiùs, medendo earum infirmitatibus, inde & in totum Patriæ corpus externum, virtus sanitatis redundet: & quam alibi arcano Dei iudicio retraxit, hinc erigendæ Patriæ propugnatricem extendat manum; quatenus appareat, Regnum Poloniæ solius Reginæ suæ benignitate, potentiâ, & protectione suo antiquo robori restituendum.

Auxit & eo die timorem in obsessis Hiacynthus Brzuchanski, Ciuis Częstochouiensis, qui ad muros cultu Militis Quartiani adequitans, spectantibus Præsidiarijs, capsam cum piscibus paucis, & literis super fossam demittens, significauit, hac nocte grauiùs quàm ante oppugnandum esse Monasterium, & apparatum formidabilem hostis recensuit, disertè scribens, se vidisse scalas, machinas murales, trabes spinosas, sphæras ferreas (*granata* vulgò dicuntur) pilas & *Auctus in obsessis timor per Brzuchanski.*

 las &

las & pyrobolos terribiles, ferreis vncis & fistulis, plũbo & puluere offertis distinctos. Caueant, *ait*, diligenter Patres, nec sibi deesse velint, sed quàm maximo apparatu & solicitudine hosti superuenturo, & admænire parato aduigilent.

Præfatus Brzuchanski à Suecis captus, ad torturas datur.

Verùm ipsemet pauper consultiùs suæ securitati cauisset, si domesticis latitans parietibus, abstinuisset ab eo caritatis officio, cuius illo ipso die in vincula coniectus miserabile tulit stipendium, pro paucis piscibus vincula & laquei sententiam lucratus. Prodidit excubitoribus suspectum faciens sui dimissorem sacculus ille, inter candores niuium colore fusco nigrescens; vt indicio illius prensum, & quis sub sago latitauerit agnitum, Generali præsentauerint, Generalis tortori tradiderit, trochleis examinandum, post atrox demùm examen seuerus causæ iudex morte puniendum decreuerit. Cùm verò in casu vitæ desperatæ humanâ ope destitutus, præstò non haberet modum, quo ferocientis præcipuè Comitis furori mederi potuisset, & ideò agone suo Deo & Beatissimæ commendato, funestam executoris decreti expectaret manum: ecce Clementissima Christi Parens, quæ sibi in torturis languenti in forma Imaginis Claromontanæ apparuerat, durum pectus iudicis emolliuit, vt supplicium in lytrum exigui pretij commutârit; fecitque pia Mater eo die clientem suum vinculis, quo & Clarum Montem obsidione dimitti.

Liberatur miraculosè.

Præmi-

Præmisit prædictæ oppugnationi Generalis Præfectus exercitus literas eiusmodi.

Millerus scribit Religiosis vltimò monens.

Admodum Reuerendi, Generosi, atque Clarissimi Domini.

QVamuis nomine, iussu, & authoritate Serenissimi ac Potentissimi Regis Sueciæ, Domini Nostri Clementissimi, Nostra adhibita partim leniora, partim seueriora conamina, apud Vos alicuius ponderis ac momenti fore fuimus arbitrati; attamen & Regem, & Nos, pertinacissima Vestra obstinatione spe frustratos, specieq́ ac prætextu simulatæ ac iteratæ Vestræ accordationis penitus elusos hactenus nos experiri cogimur. Cùm verò nihilominùs Regia eaq́ firmissima Vestrûm non deserendi fortalitium stet sententia, pro qua exequenda Nostros in tantum cum Deo continuatos esse labores videtis, vt etiam iam tum Vestros ad muros machinæ Nostræ cuniculares quàm proximè accesserint, simulque requisitis multis aliis ac ignivomis bellicis machinis ante biduum Cracouiâ aduectis, ad dolendam totius & Cœnobij euersionem, & Vestri internecionem Nos instructos aduertitis. Vtique & Dei, & Regis Nostri indolem imitaturi, Christianâ mente, extrema quæ sub manu sunt antequam aggredimur. Vos Admodum RR. ac

Reli-

Religiosos Viros, per Deum, ac sanctam Religionem Vestram, vltima vice tandem, ac semel pro semper hisce admonitos volumus, vt & Loci Sacri, & sumptuosissimi Templi ac ædificij, propriæq; conscientiæ, ac vitæ ratione habita, decenti ac morigera erga S. R. Maiestatem Sueciæ deditione, eaq; Sacris ac Religioni Vestræ nullatenus detrimentosa, tum Vestri, tum loci celebris incolumitatem, strenuè & ingenuè demùm procuretis. Moram, quam solito more mutuis transactionibus imponere forsan quæretis, res præsens non patitur. Breui igitur hisce perlectis, Nos vt resoluatis expediatisq; ipsa suadet necessitas. Clementiam hancce Regiam vltimato Vobis oblatã, si peruicaci aliqua Vestra pertinacia (quod haud speramus) respueritis: Nos sanè de totali Vestri omniũ interitu, Sacratissimiq; ac in toto Catholico Orbe decantatissimi Loci incineratione, ac euersione funditus futura, ac tandem facta, Sanctè protestando coram DEO, Rege Nostro, ac tota Christiana Vniuersitate excusatos cupimus. Præsentesq; satis beneuolas, ceu perpetuum intra Regiam Sueciæ Maiestatis Clementiam, Vestram obstinationem, monumentum toti mundo conspicuum daturi erigemus. Imò quin Vobis Vestri de salute cura, sine laxa mora sit futura nulli dubitamus. In Castris Nostris Czestochouiensibus die 14/24 Decemb. Anno 1651.

Burchardus Miller Leytenant mpp.

Quamuis

Quamuis autem literæ Hiacynthi Brzuchanski, apparatum & intentionem hostis describentes, incusserint timorem obsessis, verùmtamen quia in iisdem annotauerat Serenissimum IOANNEM CASIMIRVM ex Silesia obuiam Tartaris iturum certò mouisse, & iam Zyuecium peruenisse, superantes animo timorem Patres, rescripserunt. *Animosi Patres respondent.*

Illustrißime & Excellentißime Domine, Domine Colendißime.

Agnouimus toties Illustrissimam Dominationem Vestram clementissimè nobiscum egisse, & cum multa longanimitate accordationem Nostram expectâsse; & licet non iniquum videri poterat, vt ad requisitionem I. D. V. Serenissimæ Regiæ Maiestati Sueciæ Nos cum Monasterio Nostro traderemus; tamen quia iustissimis Nostris postulatis V. I. D. contradixit, moram hanc fecimus, non temeritate prolongationis faciendæ, sed formidine immunitatis labefactandæ. Nunc eadem benignitate I. D. V. vltimò admoniti, ad accordationem sine dilatione accederemus, nisi Nos Festorum Gloriosissima Natalis Christi Solennitas impediret: cuius habitâ ratione, dignetur I. D. V. Nobis concedere armistitium, humiliter petimus. Nos verò obtenta à Superioribus Nostris declaratione, (ad quos recursus Nobis per licentiam I. D. V. pateat) quod conueniens erit

faciemus.

faciemus. Interim Nos gratiæ & Clementiæ I.D.V. humillimè commendamus.

F. A. K. C. M. P.

Religiosi scribunt Comiti.

Addiderunt & supplicem Libellum ad D. Comitem Wrzesczewicz in hunc modum.

Illustrißime & Excellentißime Domine, Domine Colendißime.

NOndum tam auersum à Nobis Illustrissimæ Dominationis Vestræ comperimus animum, vt in summa periculorum ingrauescentiâ recursum ad I.D.V. clementiam habere desperemus. Et quia per vehementem Illustrissimi D. Generalis instantiam, ad agendum & respondendum exiguam temporis moram habere non possumus, supplices ideò ad I. D. V. recurrimus, vt I. D. V. non tam memoriâ Nostri, qui tamen semper Seruitores promptissimi sumus, quàm Loci Sacri, quem pijssimè semper coluit, & vnde se beneficia Diuina Diuæ interuentu Virginis recepisse fatetur, eundem nunc ab imminentibus ruinis conseruare velit, suam ad Illustrissimum D. Generalem interponendo operam, quatenus Nos Festa hæc solennia Natalis Christi cum debitâ deuotione agere permittat, & armistitium concedat, permisso ad Superiores recursu. Non enim latet I. D. V. quantùm

quantùm Nos Religiosi à Superiorum dependeamus voluntate. DEUS autem hanc in Locum Sacrum pietatem remunerabitur abundè, & Nos obsequiis ac orationibus Nostris regratificari studebimus. Cuius & nunc Exoratores facti humiliter Nos gratiæ commendamus.

F. A. K. C. M. P.

Literæ per vetulam deferuntur Millero.

Nemo fuit, qui literas ampliùs ad Generalem deferre vellet, cunctis fidem hostium suspectam habentibus. Ecce prodit Constantia mulier matura & audax, quæ stipe emendicata vitam sustentare solita, intra fossas tum spelæum inhabitans, exiguo conducta pretio, domos incendebat defensioni obstantes, globos hostiles cum fragmentis murorum in fossam decidentes legebat, ligna supra fossas iacentia comportabat, ne quidquam timens hostium detonantes contra se fistulas, vendensque obsessis pro alimento quidquid conquisierat. Hæc leue pacta pretium panis scilicet fragmentum, abijt in Castra noctu, & cũ ingenti cachinno à vigilarum Præfecto excepta, ac præsentata Generalibus literas reddidit, & tulit responsum huiusmodi.

Respondet Comes ad literas Religiosorum.

Admodum Reuerendi, Nobilißimi, ac Clarißimi Patres, & Amici Honorandi.

ANimus meus nunquam fuit, nec est auersus Sacræ Religioni, sed insolentissimarum actionum Vestra-rum

rum RR. Paternitatum, optassem equidem, vt tandem Vobis consuluissetis, & vltrò Vobis oblatam Regiam clementiam agnoscere non respuissetis, meliùs Vobis bonisq; Vestris consuluissetis. Vobis itaque modò, si saluos Vos cupitis, prospiciatis, & vltimæ Vestræ ruinæ obuiam sine dilatione procedatis. Interposui me, vt iustam iram D. Generalis mitigarem, & certè non sine difficultate, siquidem toties à Vobis deceptus & defraudatus fuerit. Moram dare vlteriorem horribilis executionis, quæ cras Vobis imminet, nec potest, nec debet. Attamen adhuc se declarat. Quòd pro vltima Regis Nostri clementiâ, Vobis hanc gratiam est facturus, & crastinam solennitatem Vobis non est impediturus, hâc conditione, vt mox, & adhuc hoc vesperi Vobis placeat Domino Generali cautionem dare, quòd post cras, id est die Dominica, sine vlteriori mora tractationem de mutua pace inire certò certiùs velitis. Quod si hoc neglexeritis, protestatur ille, & ego, de Vestri Monasterij & Templi totali interitu, & in cineres redactione, per machinas iam paratas, & pro libitu Generalis omni hora applicandas. Per Deum Virginemq; Sacram Vos obtestor, ne putetis me hæc Vobis in vanum dicere. Experiemini prôb dolor, quod non speratis nec putatis; si Vobis hæc Nostra oblatio placet, sine mora responsum dent, nam hac nocte & cras vester adest interitus, quem ego impedire non potero, nisi ea quæ superius Vobis dixi faciatis. Interim Vos

Vos Deo commendo, & Vestram vltimam resolutionem expecto. Et sum.

Vestrarum RR. Paternitatum

Paratissimus seruus

Joannes Veihardus, Comes à Wrzesczewicz mpp.

POsterioribus literis nihil responsum est, verùm totam noctem Religiosi exegerunt insomnes. *Religiosi tota nocte vigilant.* Nox erat Natali Seruatoris Nostri dicata, quam ij partiti per vigilias, distributis munijs incubuerunt, aliqui pro muris excubantes, aliqui Præsidiariorum animos firmantes, aliqui tormentorum Magistris attendentes, pars tamen potior diuinis intenta officijs, in Sacra Æde permansit.

Ingens per Castra strepitus, & ignis ac hominum solito maior frequentia, signabat hostile aliquid ea nocte futurum: verùmtamen tenuit Deus animos Catholicæ Religionis aduersariorum, ne quidquam nocte illa ac ipso die attentarent, quô turbaretur populus cultui Diuino intentus, vsque dum pro honore SS. solennitatis Catholicus Sacrorum ritus debitè perficeretur.

Meridie ipso intonuit Millerus tormentis ab Aquilone, ac ferreos inde parieti Monasterij globos sic allisit,

Die Natalis Christi Domini acerrimè oppugnat Monasterium Millerus.

lisit, vt multis in locis perforato pariete, nube quam excitârat puluerea, ac tortuoso globorum repercussorum volatu, per Monasterij porticus, & officinarum anfractus omnes, securitatem & aspectum habitantibus ademerit. Faces tunc vt plurimùm iactauit

Ignes iaciuntur frequentissimi.

stuppeas canabe contortas, pice perfusas, & sulphure ac nitro confertas. Fundebant illæ flammas horrendas, præsertim quæ fistulis ferreis ita fuerunt accommodatæ, vt quaquâ versus ignem & plumbum iacularentur, in similem malis granatis formam elaboratæ, quæ quia plures extra Monasterium, multæ intra illud in aream deciderunt, non ictu aut flamma, sed duntaxat tetri odoris grauitate aliquid molestiæ obsessis intulerunt. Omnium maximè terrebant obsessos

Globi item ferrei concaui, vulgò Granaty.

globi ferrei concaui, qui diuersas in partes Monasterij, vbi hominum multitudo consistere credebatur, è machinis ignem scintillantes proiecti, vehementiâ scintillationem citò sequentis flammæ, repentè de puluere tormentario intùs incluso conceptæ, cum summo fragore disrumpebantur, & feriebant frustis in omnem partem disiectis. Vnus talium globorum ante culinam repertus est integer cassus igni, alter in area dissiliens sedecim tessellas in fenestra proxima fregit, & totidem in parietibus intimis apothecæ ictus inflixit. Sub vesperum tandem grauius tormentum fortissimé Monasterij parietes quatiẽs, ignis vi ruptum oppugnationi finem fecit.

Vulgò

Iacula ab hostibus explosa in Castra cum impetu reuertuntur.

Vulgò spargitur, & est ab ipsismet hostibus sub tempus obsidionis in Castris & alibi à multis auditum, iacula ferrea tormentorum maiorum contra Monasterium ab hostibus explosa, resiluisse à muris frequenter, & forti impetu in Castra fuisse reuersa. Id dum à multis in dubium vocaretur, G. D. Petrus Okrasa, qui illo ipso die Natalis Christi commeatum de Villa Dzbow in Castra detulerat, constanter asseruit, vltima illa explosione machinæ id fuisse factum, & per Castra omnia cum stupore diuulgatum, quod vi resilientis à superficie muri glandis ferreæ, & tormentum fractum fuerit, & ipsius librator occisus; sibique hoc inquiebat: verosimile visum ex indicio globi, qui circumferebatur verè Suetici; fuit enim tãtæ crassitudinis, quantæ in Monasterio pro illo tempore non habebantur; quod ei bene constabat vti familiari. Illud indubitatum est, à momento quo machina fracta est adeò potenter, vt ad vnum & alterum stadium grandia lignorum fragmenta cernentibus Monasterij propugnatoribus dissiluerint, amplius nec illo die, nec vllo altero, tormenti alicuius fragorem fuisse auditum, vt inde appareat, graui, detrimentosa, & mirabili aliqua violentia oppugnationi Claromontanæ finem esse impositum, cùm præsertim globorum & pulueris copia suppeteret Suecis. Vesperi Millerus Claromontanis ita scripsit.

 Admo-

Admodum Reuerendi, Religiosi,
Vt & Illustres, Magnifici, ac Generosi Dñi, D.

Millerus expostulat Obsidionis soluendæ pretium.

VEndunt Nobis literæ Vestræ solito pro more, nil nisi fumum, fumo flammâq; dignum, dum loquuntur meras ceremonias, in ceremoniis moram, in mora pertinaciam, quâ Regi tam potenti subiectionem, tamq; clementer gratioso obsequium detrectatis, eoq; ipso Regiæ Maiestatis Sueciæ oblatam gratiam in indignationem, præsidiumq; tutelare, in animaduersionem ac vindictam seuerissimam conuertitis. Quid faciamus præter id quod factum. Non intermisimus sanè Nostri quod fuit muneris pro Vestri omnium, Lociq; Sacri ad Regium institutum incolumitate promouenda; sed frontem silice duriorem tam Clementi Regi hactenus obuertitis. Quin ergo perditio Vestra ex Vobis ipsis, nullus saniorum est qui ambigit. En pro abundanti duplicem Vobis viam candidè proponimus: Aut fortalitium, Vosq; omnes in Regis ac Domini Nostri Clementissimi protectionem ac præsidium hodie dedatis, aut Regiæ suæ Maiestati iuramento submissionis, obedientiæ, ac fidelitatis priùs præstito, in debitam satisfactionem pro diuturna illa obstinatione, & damno per hanc toti regioni illato, simulq; in debitam imperij recognitionem, ipsissimæ Regiæ Maiestati Vos RR. DD. Religiosi quadraginta millia Imperialium seu Thalerorum; Vos verò Generosi, Magnifici,

gnifici, ac Nobiles Viri, quotquot vestrum sunt in fortalitio, viginti millia Imperialium (vt summa sit sexaginta millia Imperialium) sine vlla mora ac refragatione soluatis. Sic Vobis missa obsidione, & de quietatione & pace sufficienter prospiciemus, simulq; Vos & Vestra omnia de securitate certificabimus. Sin minùs, & Vos dilemma hoc tolerabile non actualiter soluatis, neq; in vnam, neque in alteram harum inclinetis, aut vtrilibet annuatis ac subscribatis: ideoq; omnem pacificæ transactionis conditionem excutiatis: scitote, quod licet nec verbum, nec ferrum, nec puluis, nec ignis Vos mitigaret, tamen obsidium Vestri ac fortalitij, nullo modo propterea penitùs soluendum; sed in confinio, & in circuitu trium miliarium, omnes Ciuitates, Pagos, ac Villas, simulq; omnes illorum omnium Nobilium, qui in fortalitio contra Regiam Maiestatem Sueciæ morantur, ipsiq; refragantur (quos nominetenus nouimus cunctos) possessiones ac bona, direptionibus, flammâ, & igne funditùs deuastanda ac euertenda; imò in cineres & fauillas redigenda trademus. Vos ipsi neque in fortalitio perpetui, neque extra illud tuti existetis, sed pro tanta malitia & obstinatione Busiridis arâ, ac Perilli tauro digna, in posterum vbi vbi offendimini; non ære, sed corpore; nō nomine, sed sanguine luetis; adeòq; æquali mensura pro merito tali retaliabimini. In Castris Nostris Czestochouiensibus die 15/25 Decemb. Anno 1655.

Burchardus Miller Leytenant mpp.

Die sequenti, quæ Prothomartyri Stephano sacra erat, placuit Superiori Monasterij consuetudinem nationis Polonæ sequi; quæ amicos tunc honorare xenijs assueuit; vrbanum ratus hostilem animum delinire muneribus. Misit itaque per nominatam superiùs Constantiam exempla duo Claromontanæ Imaginis historiam continentia, idiomate Latino & Germanico; ac aliquot Sacræ Iconis ectypa Generali Præfecto, & Comiti Wrzesczewicz, vnà cum literis, quarum series fuit.

Loco pretij Imagines B. Virginis cum Historia Millero per veredum mittuntur.

Ad literas Millero respondetur.

Jllustrißime & Excellentißime Domine, Domine Colendißime.

MAnifestatam literis voluntatem, quam longè commodiùs Illustrissima Dominatio Vestra Nobis ab initio aperuisset, illo enim tempore, pro possibili ad exsoluendum Nos faciliores inuenisset rebus Nostris integris. Nunc autem, cùm iam bona Nostra bonorumq́ prouentus, partim ignis, partim miles absumpsit, quomodo satisfiat voluntati I. D. V. non videmus, cùm nec sit quod redimi possit, nec quo redimatur. Rebelles certè non iudicemur Serenissimo Regi Sueciæ, qui penes Præsidium Nostrum Polonum cum Polono Præsidente relinqui ex iustis rationibus petijmus; repulsam passi sumus, cùm tamen & in hoc passu probandæ virtuti Nostræ locus meritò concedi debuit, qui Principibus nunquam

quam rebelles fuimus (non enim sumus tanti) sed de Principibus studuimus pro Religiositate Nostra bene mereri, vti & præsenti Serenissimo Regi Sueciæ virtutem, fidelitatemq́ Nostram probatam fieri studebimus. Sed en quo iam deuenimus sanè dolendum! & Nos Religiosi in profundum paupertatis sumus demersi, & Vos Illustrissimi DD. Loco huic Sacro, tota Christianitate celeberrimo, grauem iniuriam irrogâstis. Meliora de Nobis, & de Loco Sacro cogitet I. D. V. curetq́ potiùs, vt Nos Exoratores facti in loco tam venerabili, Diuinam Maiestatem pro Illustrissima Dominatione Vestra deprecemur. Datum in Claro Monte die 26. Decemb. Anno Domini, 1655.

F. A. K. C. M. P.

Jllustrißime & Excellentißime Domine, Domine Colendißime.

Scribitur quoq; Comiti à Wrzesczewicz.

NON ad irritationem audaci temeritate, sed grati animi beneuolentia ductus, memor scilicet beneficiorum Illustrissimæ Dominationis Vestræ, & confidentissimæ olim conuersationis Nostræ confidentiùs scribo. Decetne Illustrißime Domine, virum Christiani nominis impugnare Ædes Christo consecratas? nunquid pro Castris Domus Dei à pijssimis viris Diuino instinctu fundatæ sunt, & non pro oratione? Multominùs decet Catholicum Te Illustrißime Domine agere contra locum

locum hunc, Imagine Deiparæ, & in homines beneficijs Dei, in tota Christianitate celeberrimum, in quo ipsamet I. D. V. eius benignam in se manum amplissimis est contestata pignoribus. Et nunc scito Illustrissime Domine, (quod enim scio loquor) Illustrissimam D. V. hic à casu lethali aliquoties Diuina virtute seruatam, credo per opem Virginis Beatissimæ, intuitu illius pijssimi affectus, quem olim in Locum Sacrum I. D. V. conceperat, & beneficiorum, quæ gratitudinis ergo hic deposuerat. Memor igitur beneficij seruatæ salutis Illustrissime Domine contine manum, & Dei non irrites patientiam. Nos verò Exoratores Tuos fauore gratiosiori prosequere. Dat. in Claro Monte die 26. Decembris, Anno 1655.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

Exorator indignus

F. A. K. C. M. P.

Die S. Stephani Claromontani insolito modo ex Natali Christi læti, Musica & explosionibus Suecos terrefaciunt.

Contigit eo die, quòd Familia Cœnobij pro more in Patria vsitato, ad gratulandum Natalis Christi Domini Festum conuenerit, cum suorum officiorum instrumentis, solatium fidelis obsequij habitura. Præiuerunt ijs hac in re Musici omnis generis ac instrumenti, qui primùm Superioribus Cœnobij, deinde alijs insignioribus è Nobilitate viris dulci melodia faustum Christi Natalē gratulati sunt: tum

tum alij quoque suarum officinarum & officiorum promptam & accuratam diligentiam sua supellectili sunt contestati. Tandem Præsidiarij milites subsecuti sunt, qui omnibus primùm solennitatem Festi tormentorum fistularumque ferrearum apprecati fragore, versus Suecorum Castra obuersi: deinde G. D. Stephano Zamoyski, Ensifero Siradiensi, eiusque, filio cognomini suo patrocinium primi Martyris, & natalem vtrique auspicatum detonuerunt ordine tanto; vt Sueci tonitru audito, rei gestæ secundum militarem modum dexteritatem considerantes, è statiuis in fugam versi confundi cœperint. Cuius ceremoniæ solennis causam exercitus Suetici Duces, cum relatione Polonorum haberent satis exploratam, in admirationem abrepti, ob tantam bellici apparatus abundantiam Claromontanorum, perire frustra tempus, & operam in oppugnatione Monasterij fatebantur: vt potè, cui virorum in fistulis exonerandis exercitatorum copia in defensione iusta suppetat, & annonæ affluentia exuberet; quâ si laborarent obsessi, non liberet ijs tantæ Musicorum melodiæ indulgere, cum ea in luctu, & rerum necessariarum vitæ defectu sit importuna.

Hostium discessus.

Nocte itaque concubia grauioris armaturæ machinas ex stationibus deductas expediunt, diluculò autem in suam quisque regionem diuersi abeunt, tanti agminis Duces. Millerus Generalis Præfectus Petricouiam,

tricouiam, Comes Wrzelczewicz Vielunium, Sadowſki Siradiam, Dux Haſſiæ Cracouiam, reliqui Polonarum cohortium Magiſtri, in Maiorem Poloniam diuertunt.

Prædiorum Monaſterij ſubditorumq; ruinæ conſpectæ.

Fauſtiore iam die recreati Patres, ritè peractis Deo gratijs, apertâ poſtridie Monaſterij portâ, poſt tædioſum obſidionis ſqualorem in aprico ventilantes, ſalubrioris auræ haurire cœperunt beneficium. Eorum aliqui, quorum intererat, vt quamprimùm inſtaurarent annonæ copiam, poſſeſſiones ad Monaſterium pertinentes luſtraturi procurerunt: & cùm pagorum prædiorumque Conuentus in ruinis & fauillis veſtiſtigia tantùm inueniſſent, ſubditorum autem reperiſſent neminem, eò, quòd partim cæſi ſint ab hoſte, partim per Sileſiam dilapſi. P. Prior Tabellarium expediuit Lubliniecium ad Perilluſtrem & Magnificum D. Andream Celari, S. R. I. Comitem, in Lubliniec & Radziątkow Liberum Baronem, ſignificans à Claro Monte hoſtem receſſiſſe, ſimulque petens, vt pro vſitatâ liberalitate ſua, alimentis & rebus alijs diuerſis Monaſterij neceſſitati prouideret. Eſt vir antiqua generis Nobilitate conſpicuus, & humanitate paucis Heroibus conferendus; quod autem æſtimatione maxima dignum eſt, Catholicæ Religionis à Maioribus acceptæ ſtudioſus propugnator Monti Sacro addictus, ita, vt quod olim Obededom Domus Arcæ Fœderis debuit, hoc illæ totum Claromontanæ Virgini

Beneficentia Comitis Celari.

gini ferat in acceptis, tanquam omnium ſuarum benedictionum fonti. Hic complures currus annona onuſtos ad Montem Clarum tranſmiſit, & ſolutæ obſidionis beneficium Patribus pro eo quo ipſos cōplectitur candore, perquam voluptuoſa beneuoli animi propenſione gratulatus eſt, conſolationis per Deiparam Virginem partæ primus Encomiaſtes.

Beneficentia Nobilium in Locum Sacrum.

Vt verò circumquaque diuulgatum eſt hoſtem à Clari Montis obſidione receſſiſſe, animorum propēſione & beneficentia de Loco Sancto bene mereri certantes, vbertim frumenti & omnis commeatus neceſſarij copiam Conuentui vltrò prouiderunt Viri beneficentiſſimi. Illuſtriſſimi DD. Staniſlaus de Warſzyce Warſzycki, Caſtellaneus Cracouienſis, & Paulus Germanus eius, Palatinus & Generâlis Terrarum Mazouiæ. Eorum exempla imitati ſunt Generoſi & Magnifici DD. Chriſtophorus Zegocki, Gubernator Babimoſtenſis, Sebaſtianus Bogdanſki, Stephanus Iackowſki, & alij multi: ita, vt & alimentorum apparatu penu Monaſterij pro reliquo anni decurſu ſufficienter inſtruxerint, & bobus ac ouibus greges prædij inſtaurauerint.

Quid verò tunc Patres Claromontani aliud cogitare poterant, conſiderantes tantam hoſtium molem, in perniciem rei Catholicæ horrendo impetu congregatam ſuſpenſo naſo dilabi, & hoſtem de Regni Poloniæ victoria inſolentem ac ſuperbum, de mœni-

bus cachinnis ac ludibrijs obsessorum derideri? præterquam, quòd Magnæ Dei Parenti placuerit hostes hinc decedere, vbi asylum protectionis suæ ac beneficentiæ nationi Polonæ ipsa constituisset; vt Mons Clarus Częstochouiensis illustriores Orbe vniuerso radios tam gloriosi miraculi euibraret, ad perpetuam Hæreticorum confusionem atque ignominiam, quâ moniti condiscant, frustra se in oppugnatione Sacrarum Imaginum singulariter gratia Diuina coruscantium certamen suscepisse, nihil aliud, quàm apud posteros temeritatis sacrilegæ notam, & tandem vita præsenti defunctos, æternam nominis labem, & animi corporisque pœnam consecuturos.

Obsidio Clari Montis solius Dei beneficio solum.

Profectò inter admiranda, excelsæ Numinis Opt. Max. dexteræ opera, beneficij tanti magnitudo censeri debet: quî enim fieri potuit, vt septuaginta non ampliùs Religiosi, caterua imbellis, neque militaribus exercitata studijs, tantum robur induerint animo, vt cum quinque Nobilibus Polonis, & eorum familia modica, necnon cum centum sexaginta Præsidiarijs peditibus, quorum pars maior ex agrorum cultoribus sumpta fuit, tanto exercitui resistere auderent? nisi D E V S ipse, qui magna fecit Matri suæ, locum cultui suo dicatum protecturus, mentem eam Religiosis indidisset, inditamque inter trepidantium cordium procellas fouisset immotam. Nam quantumuis aliquoties titubarent aliqui animo, re tamen sacrâ

sacrâ peractâ, vbi ad conclaue arcanorum consiliorum esset peruentum, omnes vnanimi consensu, viritim rogati sententiam, morti se potiùs atrocissimæ offerebant ab hostibus Deiparæ Virginis, & Ecclesiæ sustinendæ, quàm vt Locum Intemeratæ Matris honori Sacrum, blasphemorum pedibus hostium, calcari permitterent.

Audax visa est multis è Nobilitate Religiosorum temeritas, qui cùm redactam in hostium potestatem Patriam, Arces munitissimas occupatas, Metropolim totius Regni Cracouiam, omnemque exercitum hostili potentiæ subiectum viderent, tamen se dedere nunquam in animum induxerunt, fortitèr sustinentes æquè hostis insultus ac linguæ petulantis cauillos. *An*, inquiebant aliqui, *Othomanica auxilia expectatis Patres?* verùm fidere se non humanæ opi, sed Dei, cuius hæc causa esset potentiæ ac protectioni; paratos sanguinem vitamque honori Diuino profundere, vt fides illibata Deo, Patriæ, ac Regi seruaretur, quantùm erat in se respondebant.

Improperiũ singulare RR.

Perennitas memoriæ sit cum laudibus amplissimis V L A D I S L A O IV. Potentissimo Regi Poloniarum, qui diuinitus præscius tanti periculi Patriæ, Locum hunc Sacrum in honorem Deiparæ Virginis, muniuit propugnaculis magno sumptu, & ad munimenta eius perficienda, gloriosissimo Principibus præiuit exemplo. Cuius non segni passu sequitur vestigia

SS. Regis & Reginæ solicitudo circa defensionem Clari Montis.

stigia Frater germanus Serenissimus IOANNES CASIMIRVS Rex pijssimus, cum suâ Consorte religiosissima LVDOVICA MARIA GONZAGA, Regina Poloniæ,& Ducissa Niuersi & Mantuæ. Qui vt didicerunt arctâ Monasterium Claromontanum obsidione teneri, generosissima quæque virorum pectora in eius defensionem præmijs, fauore, dignitatibus, auro argentoque signato, & pretiosissimis monilibus inuitare non destiterunt Magno animo plerique operam fuerunt polliciti; difficultate tamen legendi exercitus,cùm per pacta Sacræ Cæsareæ Maiestatis FERDINANDI III. cum Suecis inita, in Imperio militem conscribere nefas esset, atque id in Patria fieri nulla ratione posset, cuius omnes vires & viri essent in potestate hostis, doluerunt se tam sancti piæ voluntatis propositi, non posse fructu gloriari. Versabatur alijs ab oculis nuper imperio formidabilis Suecorum potentia, quam victrices grauiorum hostium aquilæ Polonæ calamitate præsenti exaggerabant. Alij credentes Clarum Montem in potestatem Regis Sueciæ venisse, quod ipsi hostes in vulgus sparserant, inutili (vt putabat) officio renunciarunt. Alij quod inaudiuissent obsidionem solutam, an hæc ita essent, quæ rumore populi circumferebantur,examinare nihil pensi duxerunt. Duo tandem Ductores agminum, G D. Christophorus Zegocki, Auiopontanus siue Babimostensis Gubernator,

Veniunt in subsidium Monasterio Ductores soluta obsidione

nator, & G. D. Stanislaus Kulesza, zelo Diuini honoris accensi, & S. R. Maiestatis solicitudine adducti, opem obsessis laturi veniebant. Verùm enim verò cùm tanti hostium cunei essent perrumpendi, post felices aliquot cum ijs conflictus, non nisi decimâ die ab obsidione soluta, ad Montem Clarum peruenerunt. Deo (creditu pium est) sic ordinante,vt montibus miraculis olim diuinis illustribus, in Polonia etiam Mons Clarus posset accenseri, singulari solius Dei protectione ad preces Deiparæ defensus, ne ob partam in tantis periculis salutem, daretur vllus cuiquam hominum locus gloriandi, vel saltem illam superborum iactantiam vsurpandi: *Manus nostra fecit hæc omnia.*

Clarus Mons miraculosè defensus.

Ipsorum hostium testimonio perspicuum est, eam defensionem diuinitus euenisse: nam G. D. Grodzicki, S. R. M. armaturæ Præfectus, & alij testati sunt, non aliam causam recessus à Monte Claro Millerum in Castris dedisse, quàm quòd mulieris grauis sibi adstantis, verbis & vultu minaci fuisset exterritus. Vnde inter Suecos sermo increbuerat. Millerum à muliere seductum pretio Monachorum conductâ, obsidionem soluisse. Erat verò vox in populo communis, eum à visa muliere seriò monitum, vt ab obsidione desisteret, alioqui cum toto exercitu interneione delendum.

Millerus visæ mulieris exterritus.

Adstipulantur huic narrationi Sanctimonialium Ordinis

Ordinis Sancti Dominici literæ, Petricouiâ missæ ad Sorores tunc in Claro Monte commorantes, quarum contenta sunt. *D. Millerus diligenter & attentè fuit contemplatus in Templo nostro Imaginem Claromontanæ similem, & cùm aliquam paruam donari sibi eiusdem exempli petijsset interpres illius, donatam ipse Millerus ab interprete recepit*, vt facilis coniectura esset, eum visionis nocturnæ ideam an Imagini similis esset studiosiùs speculatum fuisse! Nam eædem Professæ Petricouiæ Virgines, Admodum Reuerendo Patri Prouinciali, cuius est Conuentus Częstochouiensis, fideliter postmodum retulerunt, vti ex ore ipsius Milleri acceperant, cùm de manibus interpretis Imaginem contemplaturus recepisset. *Nullo modo*, aiebat ille de Imagine, *similis est Virgini, quæ mihi apparuit, & tormentum contra me sua manu direxit, sed & in terris similem formâ videri non est possibile. Cœleste quid & Diuinum, quod supra modum exhorrui, in augustissimo eius vultu reluxit.* Redeo ad contenta literarum. *Asserebant & illud Sueci, quòd aliqui eorum vidissent ipsam (scilicet Mulierem) super muros tormenta dirigentem, & necessaria defensoribus arma super vallum gentem, & necessaria defensoribus arma super vallum subministrantem. Latomis etiam cuniculos agentibus, rupemq; incidentibus, apparuisse annosum Senem, qui eos moneret, vt ab inani molimine abstinerent, septenni etiam labore non superando. Atque his visis exterritos se ab vlteriori obsidione discessisse,*

Dictum Milleri de visa sibi Muliere.

Mulier à Suecis super vallum Monasterij visa.

Vir annosus apparens, arguit lapicidas.

discessisse, quod & G. D. Alexander Strzałkowski ex ore Suecorum sibi auditum, sub onere conscientiæ fassus est coram Patribus.

G. D. Heduigis Iaroszewska eadem tempestate, visam sibi similiter viri grandæui speciem narrauit, qui se bene sperare iuberet, breui Deo miserante obsidionem soluendam, hostemque à Monte recessurum. Pater interim (quem nomine appellauit proprio) sacris operaretur albo apparatu, ad aram anguli dextri ab ingressu templi. Non alium Senem apparuisse potuimus interpretari, quàm Sanctum Nostrũ Patriarcham PAVLVM Primum Eremitam, cuius honori altare illud dicatum est. Quam speciem Senis visam à latere Mulieris super muros apparentis, & iacula manu retorquentis se à Suecis accepisse testati sunt, GG. DD. Ioannes Więckowski, & Matthias Węgierski, Nobiles Poloni.

IdemVir annosus à Nobili muliere visus in somnis.

Retulit quoque fide interpositâ Sacramenti, tacto pectore P. Blasius Vadouius, Prior Wieruszouiensis Ordinis Nostri, quòd in domo cuiusdam Ciuis Wieruszouiensis mensæ adhibitus Suecorum, Georgij Eichner, & Arentij Lukman Commendantum, ab ore ipsorum sacrilego hanc blasphemiam exceperit. *Quænam* (inquiebant) *est in Vestro Monasterio Częstochouiensi saga, quæ cœruleo amicta velo, sæpiùs egressa Monasterio, muros obambulabat, quandoq; super illorum fastigia residens, ad cuius aspectum multi nostratium*

Mulier super muros Monasterij visa, exanimabat Suecos.

tium

*tium concidebant exanimes, ita, vt ea prodeunte, vul-
tum demittere ac operire oculos debuerimus.*

Idem tum asseuerabant, & alij plerique primarij
Copiarum Præfecti mensæ accumbentes. Ex quibus
nonnulli subiungebant exprobrantes. *Vestri Mona-
chi sunt maleficiorum studiosissimi. Hem! nostrum Com-
militonem ita incantauerunt, vt ab ipso temporis mo-
mento, quo contra Templum fistulam explosit fer-
ream, manum extensam teneat, nec eam vllo modo
valeat contrahere, aut flectere aliquorsum; imò totus
corpore rigidus, neque ipse possit equum ascendere, nec
descendere, necesse ideò habuimus, veluti terræ inutile
pondus, cum erecta sic manu, quemadmodum fistulam
direxerat, Lesnam ablegare.* His addidit Pr. memo-
ratus, quòd cùm antea sæpissimè in Sanctissimam
Virginem Dei Matrem, Sueci horrendas fœtentibus
buccis, vomerent blasphemias, postquam Często-
chouiâ redierunt, mitiores extitisse: nec aliquid simi-
le ab eis amplius auditum.

Miles Sueticus contra Capellam B. Virginis explodens obriguit.

G. D. Nicolaus de Rusko Bielawski, narrationem
Suecorum monimentis literarum propria manu po-
steritati, ad memoriam perpetuam ita consignauit.
*Milites regiminis Sadowski, qui Officium in Exercitu
Suetico* (vt vocare Germanis mos) *Colonelli gessit, in
Villam meam* Goliná *nuncupatam, Districtus Costen-
sis, à Monte Claro regressi, descenderant: ex quibus do-
mi meæ bene habitis cùm sciscitarer, quid Czestochouiæ
ageretur,*

*ageretur, & in Monte tanto exercitu cincto quos habe-
rent successus? respondebant: frequentiùs sibi apparuis-
se candido amictu Personam quandam è Monasterio
prodeuntem, & districtum gladium aduersus Castra vi-
brantem, quam intuitus aliquis corruebat exanguis Li-
bitinæ victima. Et esse compertum ab excubijs noctur-
nis, quadraginta milites hoc infausto spectro exterritos
animas dedisse.*

Persona in albo vestitu cum stricto gladio procedens ex Monasterio.

Iterum cùm eundem Nobilem Officij causa visi-
tâssent, narrabant, quomodo ipsi vidissent *Mulierem
cæruleo theristro vestitam, contra quam cùm duo mili-
tes Silesij, fratres germani de Gerlachowa cognomento*
Dudziczowie, *longiores tubos explosuri collimassent,
ipsorum alteri faciei tubus ita inhæsit, vt diuelli nequa-
quam posset, sed excindi à Chyrurgo debuerit, alter duri-
tie lapidi simillima toto corpore obriguit, quos Sueticus
exercitus secum abduxit.* Hoc ab ijs iureiurando in-
terposito affirmatum, prædictus Eques Claromonta-
nis perscripsit.

Milites explodentes cõtra visam in muris mulierem, puniuntur diuinitus

A plurimis quoq; Suecorũ se audiuisse testatus est
supranominatus G. D. Strzałkowski, vir doct⁹ & ma-
turus, Maioris Poloniæ Incola, quòd conspecta Mulier
in muris Monasterij, Suecos aut visu terruerit, aut dẽsa
quadam obuoluerit caligine, cùm maximè vires ad
expugnandũ Monasterium intenderent. Quod idem
se à Polonis militibus, quos cùm D. Wolph interce-
perant Sueci, accepisse, viri graues & fide probati Ci-
ues Częstochouienses retulerunt. Multi

Sueci visu Mulieris, ab expugnatione Monasterij deterrentur.

Mons Clarus inter nebulas fallit oculos Suecorum.

Multi item viri Nobiles fide bona contestati sunt, inter narrata Suecorum de obsidione Montis Clari, hoc singulari obseruatione dignum ex ore ipsorum fuisse exceptum. *Sæpiùs* (inquiebant illi) *expugnationem Monasterij apparatu tormentorum nobis aggredientibus apparebat nebula, quâ Mons inuolutus vmbra fallaci, intuentium eludens aspectum, videbatur cum Monasterio in altum äëris exporrectus, quò cùm dirigerentur ictus machinarum, iacula ad conceptum in äëre scopum proiecta, supra Monasterium innoxio cursu ferebantur. Quandoque autem per eandem nebulæ interpositionem, errantibus similiter oculis cernebamus Cœnobium in humili colle positum: Directores proinde nostri, caliginis opacitate decepti, cùm fistulas tormentorum contra vmbram exploderent, globi ante mœnia Monasterij à Montis radice excepti humum feriebant tunc gelu constrictam, & inde resilientes in äërem, reassumpto impetu pellebantur.* Placuit Diuinæ summæ bonitati, ad saluandum confidentes in se per Pijssimæ Matris suæ interuentum, antiqua reuocâsse miracula, Montemque Sacrum protexisse in columna nubis, vt de eo notum sit illud, quod in Psalmo dicitur: *Mons in quo beneplacitum est habitare Deo.*

Multa alia miracula fuerunt, quæ recentur ex ratione.

Pauca hæc ad euidentiam defensi seruatiq; Montis Mariani manu Dei opitulantis exempla rerum mirandarum, descriptioni Claromontanæ Obsidionis inserenda censui. Plura prodigiosè facta, literisq; aut

aut sermone hominum celebrata de eodem obsidio, dum ad aures perferrentur, æstimes velim prudens Lector, nihil hîc pro loci existimatione à nobis curiosè quæsitum: satis esse ad nostrum propositum, imò & ad nomen celebre loco faciendum putauimus, si constet oppugnatum Montem Clarum præsidio SS. Reginæ cœlestis innixum, omnium periculorum extitisse victorem. Expungantur (quidam Procerum audacter locutus) memoriâ hominum, & quæ nunc facta conspicimus, & quæ aliquando in Monte hoc ad ampliandum suæ Diuinissimæ Matris honorem Altissimi manus patrauit memorabilia, maneat verò vnicum hoc Mons Clarus tutela MARIÆ inter cineres fumantis Poloniæ solus illæsus: solus reuiuiscentis Regni saluti seruatus: solus confundendæ hostium potentiæ relictus integer, ac inter ruinas Vrbium & Castellorum omni hostium impetuoso furore superior. Omnem proinde Regno Poloniæ integritatem, publicas priuatasque Reipublicæ fortunas, Ecclesijs cultum Dei & auitas immunitates seruatas restitutasque cogitemus opè solius à Claro Monte MARIÆ, vt iam meritissimè Magnorum iudicio dici debeat: **Clypeus Regni Poloniæ Clari Montis MARIA.**

Longè latèque Mons Sacer suæ claritatis radios ex eo tempore diffundens, recenti Diuinæ protectionis

beneficio, diuersarum nationum populos, ac infensas Regno Poloniæ gentes, ad amorem Supremi Numinis, & eius Diuinissimæ Parentis venerationem illexit. Documento est Magnus Moschorum Princeps Alexius Michałowicz, cuius Legatus Ioannes Iewlew suæ Serenitatis Pincerna, pacem paulò ante compositam, ob Prouincias Smolenscensem & Seueriensem, in eadem sæua Reipublicæ Polonæ tempestate, à Ducatu Lituaniæ ad Dominum Moscouiticum armorum vi auulsas, cum Rege CASIMIRO stabiliens, obtentâ à Rege licentiâ visitandi Częstochouiam, & S. Deiparæ videndi effigiem, Regio comitatu stipatus, nomine & mandato sui Principis Montem Clarum ascendit, & cum magna præsentium admiratione, primùm in templo ad aram maiorem, tum & in Capella ad Altare Virginis Beatissimæ, augustam Sacræ Imaginis intuitus Maiestatem, more suæ gentis profundâ ceruicis inflexione, & manus ad terram demissione, se suumque Imperium Gloriosæ Virginis patrocinio submittens, adorauit. Multa tum prænominatus Hospes, mēte & oculis intensè speciem Imaginis perlustrans, ex industria percontatus est à Patribus & Viris ex Equestri ordine insignioribus, de omnibus exactè cupiens informari. *Istané est coruscans miraculis Gloriosissimæ Christi Parentis Mensa & Imago? cuius arte manuué facta? à quo tempore hic consistens? vnde, qua occasione, & à quo huc deducta? Cicatrices*

Legatus Moschouitici Principis visitat Clarum Montem.

Quæstio Legati.

catrices

catrices vultui impressas quomodo cōtraxit? quibus clara miraculis? Altare ipsam sustentans tam magnificū, cuiusnam operâ & munificentiâ extructum? in statuis & reliquis operib⁹, quæ Intemeratæ Virginis onerant arā, verumné sit ac purū argenti metallum? quid causæ sit, quòd Religiosi loci huius niueis vestiantur Cappis, & non potiùs aliorum exemplo ascetarum, vti & Græci ritus nostri Monachi faciunt, nigro induantur colore. Et in his quæsitis sufficienter edoctus, è Sacrario Virginis Sanctissimæ interiorem Basilicæ ornatum inspecturus procedens, splendorem ibi exedrarum intuitus, statuas in ijs vitæ & mysteriorum Christi, affabre Sculptorum artificio elaboratas, tum & beneficiorum, quæ miraculosa Dei manus præter rerum ordinem, supplicibus suis in Monte Claro præstitit, coloribus egregiè adumbratas, singulorum quid significent indagando rationes, accuratè lustrauit: Solennes quoque Sacrorum apparatus, Sacram Mariani Sacelli supellectilem, atque pretiosiora Diuini ministerij armamenta, & donaria in auro & argento, gemmis & lapidibus exquisitis distincta, honori Sacratissimæ Virginis in perpetuum reposita, cum ingenti oculorum & animi delectatione, feruorem inde pietatis Catholicæ, ac multam in cultum Augustissimæ Virginis Catholicorum propensionem coniectans, studiosissimè contemplatus est. Requirens verò diligenter, à Superiore Monasterij impetrauit librum de origine

& mira-

Oblata Imago Principi Moscorum per Legatum cum Historia Imaginis S.

& miraculis S. Claromontanæ Iconis, necnon ectypum eiusdem depictum super linteum æqualis prototypo mensuræ, ad sui Principis singulare solatium, quod hinc expectat: *Religiosissimus enim est*, inquiens, *& tenerrim⁹ Christiparæ cultor*. Ipsum insuper, & se, Religiosorum recommendans orationibus, subiecit: *Nihil hic est ritibus & Religioni Nostræ contrarium, Vestra Religio ad Nostram proximè accedit, & si quid exiguum est, in quo discrepent, facili negotio posset componi. Porrò quæ sæpiùs dicta audiuimus de S. Czestochouiensi Imagine, parùm apud nos habere videbantur momenti, nunc verè quæ didici, altiori habebuntur loco, & Princeps ac Dominus meus Clementissimus, postquã Imaginis miraculosæ istius, ac gestorum hîc rationes, ita vt vidi & audiui, à me plenè acceperit, Religiositatem suam, & pium in Christi Matrem affectum, Regijs, iisq. amplissimis muneribus, Sacræ huic domui certò contestabitur.* Sic de Claro Monte à fulgentissimâ Stella Maris vibrati radij remotissimis Septemtrionalibus oris illuxerunt. Approperent vtinam Deo miserante tempora, quibus Orbis Christianus & ALEXANDRO VII. Vniuersali Ouilis Christi Pastori aggregatum gregem amplissimum, & IOANNI CASIMIRO Regi Nostro Potentissimo, splendidum de tenebrarum potestatè triumphum congratuletur.

Verba Legati Moschouitici in discessu.

Gens impia Suecorum execrandis Caluinianæ superstitionis inuoluta tenebris, acerrimè Orthodoxam exosa

exosa veritatem, diffusum à Claro Monte iubar toruo suspiciens obtutu, quaquà via potest extinguere, satagit proteruè. Quia verò ad exterminium Religionis Catholicæ in Poloniam hostiliter congregata, suorum multis millibus cinctum Montem Sanctum, horrendè igne & ferro sæuiens, demoliri nequiuerat, ad extinguendum in Orbe famam, & nomen eius, commentitijs traditionibus de fuso exercitu Polono, & de Monte Claro Częstochouiensi expugnato, Amsterodami, & in alijs pluribus locis typo impressis, orbem impleuit. Exemplar huiusmodi literarum S. Reginali Maiestati ex Gallia missum, ad confundendam gentis impietatem poni hic placuit.

Impietas Suecorum in Clarum Montem.

VICTORIA REGIS SVECORVM.
De cæsis Polonorum viginti millibus, & excidio Częstochouiensi.

Fabulosa victoria Suecorum.

Desumpta ex literis Commendantis Suetici Częstochouiensis, de data Częstochouiæ die 23. April. Anno Domini, 1657.

REX *Sueciæ habito consilio Sandecij cum Rakocio, auctus Confœderatorum viribus, suoq. Cracouiâ præsidio euocato, mouit aduersus hostem, Castra eius, quæ quinque milliaribus Cracouiâ dissita, quinquaginta millia hominum cingebant, inuasurus. Itaque aciem*

heroicâ industriâ & dexteritate instruens, Generalem Antonium cum quindecim millibus Cozacorum Pinczouiam primùm expediuit, vt fugientibus hac & illac insidiaretur Polonis. Bakoß Gaborem verò decem millibus equitatus ferentarij præfecit, qui cùm aduertisset Lubomirſcium viginti millibus stipatum, Regi Sueciæ cominùs insultantem, in eum acer irruit: verùm acriori Polonorum impetu repressum, & attritum, iussu Regio Generalis Wirtius auxiliaribus decem millibus Equitum Vngarorum & Dacorum, adeò feliciter sustinuit, vt Lubomirſcius plurimis implacabili sæuitiâ Vngarorum amissis, cum exigua suorum manu fuerit coactus è campo Martio in Castra reuerti. Rebus sic stantibus, S. Maiestas & Rakocius, cum toto exercitu & ignito armorum apparatu, progrediebantur aduersus Castra Polonorum, intrepido vultu tormentorum maiorum octo, minorum verò plurium excipientes ictus, quibus Czarniecius ex eminentiori collis vertice repellere nitebatur Confœderatos Principes, & potissimùm Regem Sueciæ; qui cùm dextro Rakocium, Valdekium sinistro lateri præposuisset, aciei reliquæ ipse præfuit. Primus Czarniecius cum tribus millibus hastatorum descendens in arenam, postquam à Sacrâ Maiestate iteratâ tormentorum explosione signum accepit, ante suos hastatos vniuersamq; Nobilitatem generosè constitit, & Transyluanos eâ animi fortitudine aggressus est, vt se prælio subducere fuerint compulsi. Porrò Rex Sueciæ, omne illud Polonorum

rum robur, totamq; belli molem, quâ iam dextrum latus fuit debilitatum, tenuit fortissimè, fugientibusq; reuocatis, trepidantes eorum animos exemplo suo ita confirmauit, vt prælio redintegrato, leonum adinstar hostem aggredientes dimicauerint. Sed neque Polonis deerat animus: qui quidem primo congressu secundò certabant Marte, eò, quòd à Suecis ictibus tormentorum non possent feriri; verùm peditatus hosti victoriæ palmam præripuit; nam Czarniecius ictu sclopeti saucius, postquam è conflictu secessit, eum reliqui Commilitones secuti sunt: omnibus rebus suis, atque commeatu Castrensi prædæ relictis. Generalis Lubomirſcius inuaserat latus sinistrum, cui Comes Valdekius præfuit; verùm hic associatos habens suis cohortibus Cozacos, ita strenuè repressit Lubomirſcium, vt retrò abiens, profugus in Castra se cum suis receperit; quos & ipse sequi necesse habuit, & Antonius cum suorum quindecim millibus extrema eos cladè affecit. Cæsa sunt Polonorum viginti millia, paludibus nõnulli vliginosis suffocati, pleriq; in Vistula submersi miserè perierunt. Suecorum, & potissimùm Transyluanorum occubuerunt tria millia. Confecto feliciter prælio, prædaq; inter se diuisâ, Rex Sueciæ in eodem victoriæ campo, solennes sequenti die instituit preces, consonis vocibus Te Deum laudamus decantatum, gratiarumq; actiones Supremo Triumphatori Deo sunt persolutæ. Rebus sic peractis, Czestochouiam duxit Copias, Castraq; ibi decima sexta præsentis metatus, Fortalitij deditionem à Polonis

Polonis per tubicinem requisiuit. Cùm verò mortem potiùs oppetere, quàm seruitutis iugum pati velle, iteratò & vltimò responderent Poloni, adducuntur illicò tormenta, & duobus integris diebus muri quatiuntur, sed latè extructis innixi vallis moueri loco nequiebant. Tandem eriguntur ad mœnia scalæ, & extremis viribus vtrinque certatur. Obsessi arcendo accessum igneis, piceis, & lapideis missilibus, ducentos ex nostris primo impetu peremerunt. Cæteri nihilominùs creberrimos ictus virili excipientes pectore, per scalas murorum altitudine superatâ, læti fortalitio potiti sunt, armataq; manu aream ingressi, nulli sexui parcendo, Sacerdotes insuper & Religiosos trucidârunt. Quindecim tinæ auri repertæ, thesaurus argenti & pecuniæ ingens effossus, argenteæ quoque Imagines in Ecclesia victoribus in prædam cesserunt. Hac die Sueciæ Rex, vnà cum Rakocio, hinc proficiscitur Zamoscium versus, illud obsidione cincturus. Quo expugnato S. Maiestas, in Prussiam cupit reuerti.

Effrons Meretrix Babylonica eò impudentiâ processit, vt pro libertate insanæ conscientiæ, proteruè magis quàm liberè, imposturis & mendacijs audeat lucidissimæ oggannire veritati. Insolens cauillator, cui celebre nomen victoriæ & officij Commendantis Częstochouiensis pro Rege Sueciæ, comminisci libuit; quàm strenuè hominis impudentis imaginem expressisti, dum in conspectu Solis, cum inclytæ gentis Polonæ, & Loci S. iniuria calumniosè ausus es tibi pulcherrimum nomen Victoris turpi mendacio fabulosi conflictus mercari: renuis in apertum venire detecto nomine, ne quis sis deprehendaris; filius nempe tenebrarum, tenebrosæ lupæ Hæreseos es. Solem proinde intueri nequis, & in lucem filiorum Lucis prodire, ipsa te conuincente mendaci conscientia, trepidas. Viuunt inuicti gentis Polonæ Heroes; viuunt generosa militum Polonorum pectora, quos ô homo impudens mendacis linguæ tuæ gladio mẽdaciter perdidisti, & quidem viuunt feliciter & sibi, & Patriæ, dum forti animo erigentes Trophæa, gloriosam de hostibus suis victoriam prosequuntur. Stat Mons Clarus Częstochouiensis, & eius Cœnobium, cultui Dei Matris Virginis dicatum, integrum, & immortale impietatis Sueticæ Monumentum. Stat apex fortitudinis Polonæ sæpiùs quidem grauissimis tentatus oppugnationibus, nunquam expugnatus. A Monte hoc confœderati & impiè coniurati Orthodoxæ hostes Ecclesiæ, cuncti turpissimè dissiluerunt, nihil solatij de suis conatibus, præter confusionem & ignominiam perpetuam reportantes.

Millerus reuertitur, & aggreditur iterum Częstochouiam cum Comite Wrzesczewicz, & Sadouio.

Torsit non mediocriter animum Milleri, exprobratum sibi à Commilitonibus, Officiorum potissimùm Præfectis, se delusum præstigijs Monachorum, stationem expugnandi Monasterium deseruisse; imò fama ferebat, passim ab ipso Rege Sueciæ acriùs obiurgatum, quòd vnam caueam, siue gallinarium (vt voca-

vocabat per cauillum) tantus ſcilicet Dux, tanto tẽpore, tanto exercitu, nequaquam expugnâſſet! cùm Poloniæ Metropolim Cracouiam, breuiore interuallo ipſe Rex ad deditionem adegiſſet, totumque penè Regnum, Sceptro ſuo ſubegiſſet. Itaque coniunctis iterum Copijs cum Comite Wrzeſczewicz, & Sadouio aliquot cohortium Præfecto, Caliſſio regreſſus, tria millia militum ducebat. (Ea eſt vel militaris famæ cupiditas, vt illa quis tentare audeat, quæ maiore ante apparatu ſe non poſſe conſequi perſpexit; vel hæreſeos proteruę pertinacia, vt Diuinæ potentiæ admiranda opera, præſtigias vocitet, ac cœlitùs profecta ſalutis remedia, cacodæmoni attribuat) cùmque Wilkouiecium perueniſſent 4. Kalend: Februarij anno ſequenti, nimirum ſuprà Milleſimum, Sexcenteſimum, Quinquageſimo Sexto, placuit vt Sadowſki Superiorem Clari Montis de ſuo aduentu certiorem faceret.

Sadouius ſcribit Priori Clari Montis de reditu hoſtis.

Magnifice Domine Prior, & Amice beneuole.

VTI ſemper amicè cum Veſtra Dominatione vixi, ita & nunc teſtificandæ amicitiæ occaſionem accepi, ſignificare V. D. quod Excellentiſſimus D. Generalis Miller, ſimiliter & Excellentiſſimus D. Generalis Dunclas, ex mandato Regis Suecorum hûc cum armatura veniant.

ra veniant. Rex enim Sereniſſimus pace compoſitâ cum Duce Pruſſiæ, vult, vt totum Regnum Poloniæ ſuæ ſe ſubmittat ditioni. Quia verò Rex Sereniſſimus benè nouit, Veſtro inſtinctu factum eſſe, quidquid Wielunij factum ſit; & quòd illi latrones in Veſtro Monaſterio refugium habeant. Ideò vult nullum eis patere locum, in quo refugium habere poſſint. Proinde, ſi ſub protectione Sereniſſimi Regis Suecorum VV. DD. manere volunt, confidentiſſimè Krepicium veniant ad Excellentiſſimum D. Generalem, fiet enim hoc cum conſolatione Veſtra. Quòd ſi non veneritis, & reſolutionem quantociùs non dederitis, peditatus cum armatura admouebitur. Dat. Wilkouiecij die 29. Ianuarij, Anno 1656.

Veſtræ Dominationis beneuolus Amicus

Venceſlaus Sadowski mpp.

SEquitur è veſtigio præmiſſas literas agmen quingentorum militum, qui per auios ſaltus exploraturi ſtatum Częſtochouienſium pergentes, concurrerunt cum triginta Claromontanis, quos ſimiliter verſus Kłobucko exploratum miſerant duo illi ſupranominati Ductores, qui tum recenter exciſo Wielunenſi ducentorum Suecorum præſidio, intra Clari Montis penetralia, cum ſuis agminibus ſe receperant prædâ onuſti. Et cùm Claromontani in conflictu ægrè ſu-

Wielunij cæſi Suecorum ducenti.

 ſtinere

ſuſtinere poſſent hoſtem numero ſuperiorem, paulatim cedentes, è ſyluis in campos Monaſterij eductũ, dextrè tormentis obiecerunt incautum. Atque ita vt primùm venerunt in apertum oculis ſpeculatorum ſubiecti, tormentum Propugnaculi Septemtrionalis exploſum, pleroſque hoſtium equis & vita deiecit, reliquos timore correptos in fugam ita diſperſit, vt abijcerent ſarcinas, quò commodiùs currerent de grãdi Polonorum exercitu Præfectos ſuos admonituri. Vix nuntium audiuêre Duces, eâdem nocte de ſuis ſtationibus mouerunt Centurias, & die ſequenti trepidantes, turbatis agminibus Wielunium vſque peruenerunt.

Sueci cum Millero à Claro Monte terrore fugati.

Superior Milleri fortunà videri voluit Comes Wrzeſczewicz, proinde nactus opportunitatem, vt rebatur, extremo Bacchanaliorum die, quâ libentiùs indulgeri ſolet genio, cum duobus millibus militum, ex Præſidijs Krepicenſi, Wielunenſi, Siradienſi, Petricouienſi, Pilecenſi, Ogrodzinenſi deductis, Kuleſzyanas Copias in Villa Częſtochowká mediâ nocte aggreſſus eſt pridie Kalend: Martij. Verùm ab excubijs aduentantis hoſtis admoniti Kuleſzyani, ad Monaſterij foſſas recurrerunt: & quamuis per noctem obſcuram ſecuri latuiſſent, maiori tamen ſecuritate recreati ſunt, aliquot ictibus tormentorum Suecis à mœnibus ſubmotis, qui dato ſigno receptui, vno Polono, qui generoſiori fidens equo, neglexerat periculum,

Comes Wrzeſczewicz aggreditur quartò Monaſterium.

lum, intercepto, & quadraginta circiter abactis equis, diſceſſerunt.

Denique Nono Kalend: Aprilis, idem Comes cum mille ſexcentis viris, ſub Oppido Częſtochowa, comparuit horâ primâ pomeridianâ, ex quibus ſeptingentos diſtinctos ſignis octo ſelegit, & verſus Monaſterium contra Polonos expediuit, maiore parte Copiarum penes ſe ad ſtagnũ regium retenta. Trecenti contra eos animosè proceſſerunt Poloni, qui cùm viderent dextrum cornu ſtrenuè contra ſe proſilire, aciem autem reliquam ad ambiendum ſe in lunæ formam extendi, ſenſim ad latus cedebant, vt proximum dextro ſuo lateri collem præoccuparent, cornui Suecorum oppoſitum ſiniſtro. Porrò cùm clamoribus vrgerentur ſuorum, qui ſupra muros erant ad hoſtem perſequendum, alacriter in eum ſunt inuecti, ſed limoſo agro vlteriùs ire prohibiti ſubſiſtere debuerunt, atque à conflictu, quem iniquitas loci denegabat ſuperſedere. Excurſibus hoſtem laceſſere cõtenti, quibus Suecos cedẽtes acriùs infeſtabãt, vt ſuorum duntaxat duobus deſideratis, quòd equi eorum luto hæſiſſent pertinaciùs, triginta Suecorum viros cum aliquot Præfectis interemerint. Multorum ex Polonis in eo conflictu, ſed vel maximè G. D. Petri Czarniecki virtus enituit, idq; potiſſimùm cæde duorum præſtantiſſimorum inter Suecos militum, quorum alterum immani ſtaturâ virum ſuis præcurrentem

Quinta aggreſſio Monaſterij per Comitem Wrzeſczewicz.

Depulſio Comitis.

tem agminibus, & audacissimè nostros à latere inuadentem, aduerso pectore excipiens, ictu frameæ equo deturbatum trucidauit; alterum item eorundem agminum principem, generosè contra eum equo prosiliens, globo per femora traiecit, & eius nece reliquos Suecorum conturbauit. Postridie equitatus Suetici Præfectus Maior, in acie per femora læsus, animam egit. Nec multò post ipse Comes in Maiore Polonia ab Illustrissimo D. Grudzinski, Palatino Calissiensi, octingentis suorum interemptis, à plebe rusticâ fustibus miserè contusus, iustum vindici Numini, rapinarum, cladium, & Sacrilegiorum supplicium expendit.

Interitus Comitis.

Affulgere cœpit interea post atras tempestatis fluctuosæ nebulas, obsidione Clari Montis solutâ, quasi aurora cōsurgens spes victoriæ, de Suecis spiritu quodam prophetico in Ecclesia Cracouiensi Cathedrali, sub auspicijs Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Petri Gembicki, Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriensis, prænunciatæ, patrocinio Deiparæ Virginis obtinendæ. Non enim vacui fuit ominis, quòd viri Religiosi in ordine recitandi Officij Diuini pro Cracouiensi Diœcesi descripto, compererunt. Sacrum Pascha præsentis anni, præter consuetudinem vocatum Dominicam RESVRRECTIONIS & VICTORIÆ. Quamuis enim scitum sit omnibus fidelibus, mortis & sathanæ victorem Christū Domi-

Victoriæ mirabile omen, S. Imago Clari Montis loco suo restituta.

Dominum ab inferis ascendisse; tamen hoc addi non vsitatum est, ita vt ea res prudenter, non Patres tantùm Claromontanos in admirationem traxerit, verùm etiam Illustrissimorum Archi-Præsulum, Illustrissimi Principis, & Reuerendissimi D. Andreæ Comitis à Leszno, Archiepiscopi Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis Primique Principis. Illustrissimi & Reuerendissimi D. Ioannis Tarnowski, Archiepiscopi Leopoliensis, Claræ Tumbæ perpetui Administratoris, atque Illustrissimi & Reuerendissimi D. Casimiri Floriani, Ducis in Klewan Czartoryski, Vladislauiensis & Pomeraniæ. Illustrissimi & Reuerendissimi D. Ioannis Stephani Wyzgá Luceoriensis, Episcoporum induxerit animos ad indagandum, quid eo potissimùm die factum fuerit, quod speciem referret victoriæ in tam turbulento Patriæ statu? Venit in mentem seriò cogitantibus, in Diœcesi Cracouiensi Sacram Iconem Claromontanæ Virginis, quæ ob imminens ab hoste discrimen, in tutiorem locum fuerat recondita, tunc altari suo restitutam. Quod quidem Illustrissimi Præsules ita interpretati sunt; vt quemadmodum Christus rediuiuus victoriam nobis è glorioso sepulchro extulit, ita cum ipso triumphāte restituta suo loco Deiparæ Virginis Imago, spem nobis non dubiam polliceri videtur, breui secuturæ pacis. Quare ijdem Antistites in Montem Clarum, cum Serenissima Reginali Maiestate, sexto

Czeſtochouia à Præſulibus Mons Victoriæ *in poſterum dici iuſſus.*

Nonas Iulij, poſtquam veniſſent viſitationis eius diem honoraturi, cenſuerunt Montem Clarum deinceps debere MONTEM VICTORIÆ appellari.

S. Imaginis reſtitutione ſedatur epidemiæ lues in Monaſterio.

Nec vana ſpes fuit, idipſum ante augurantium, ſiquidem poſt reſtitutam altari ſuo Imaginem Sacram, epidemiæ lues, quæ grauiter inualuerat ex incommodis obſidionis in Monaſterio, & pleroſque ex Regularibus & Sæcularibus abſumpſerat, penitus reſedit: & hoſtium nemo, qui in perniciem Religionis & Regni Poloniæ, cum Sueco coniurauerant, atque Montem, à quo huiuſmodi ſpes victoriæ illuxerat Polonis, multoties acceſſiſſe conſtituerant, nemo vnquam hoſtiliter acceſſit. Sic ad Varſauiam, diſperſo Polonorum exercitu, dum omni conatu & operâ Montem aggredi pararent, iamque itineri accincti, exercitum & arma mouerent, inſperatè à Polonis inſigni ſuorum clade ſub Lipie territi, fugam potiùs capientes, à propoſito deſtiterunt. Sic & ad Petricouiam, dum Rakocio coniungendi iterum eam inuaderent, & Regem CASIMIRVM in Claro Monte ſine exercitu tum degentem adoriri vellent, incertum quâ de causâ (immani quodam aiunt Polonorum exercitu) in metum adducti, à deſtinata incurſione Clari Montis pedem retraxerunt.

Eiuſdem reſtitutione hoſtes arcentur ab incurſione Monaſterij.

Intereſt autem hic meminiſſe, quòd Suecus cùm aduerteret ſe viribus imparem Polono imperiũ ſuum

Confœderatio Suecorum cũ Duce Pruſſiæ, & Rakocio Principe Tranſyluaniæ.

ſuum dedignanti, ardens iracundiâ & cupiditate gentis ſubiugandæ, præter alios confœderatos Principes, cum quibus Poloniam inuaſerat, acciuerit quoque in ſocietatem belli Fridericum Guilhelmum, Marchionem Brandeburgicum, Ducem Pruſſiæ, Regni Poloniæ Feudatarium, & Georgium Rakocium, Tranſyluaniæ Principem, ſingulis certas Regni Prouincias, quas armis poſſederat, in ſtipendium belli daturus. Atque ita Pruſſiâ ſuæ ditioni relictâ, dederat Brandeburgico Maiorem Poloniam; Rakocio Poloniam Minorem, Podlachiam, & propiores Ruſſiæ partes, quas hic poſſeſſurus, & nouum Regis titulum piſcaturus, cum grandi exercitu Vngarorum, Coſacorum, Dacorum, Moldauorum, &c. venerat literis huiuſcemodi ad Nobilitatem per diuerſos Palatinatus præmiſſis.

Mandatum Rakocij ad Polonos.

Nos Georgius Rakocius, Dei gratia Princeps Tranſyluaniæ, Partium Vngariæ Dominus, & Siculorum Comes,

NOtum teſtatumq́ facimus vniuerſis & ſingulis, ac inprimis omnibus Statibus, Ordinibus, atque Incolis inclyti Regni Poloniæ, præſentes Noſtras viſuris lecturiſq́. Cùm Ordines Regni fatiſcentibus, ac in dies in deteriùs vergentibus Polonæ Reipublicæ rebus, in præſenti ſuo ſtatu nihil vltra præſidij videntes, Regni Coronam,

nam, tum antea, tum recens, mediante ſolenni Legatione, certis Conditionibus Nobis obtuliſſent; nec non pro veteri, imò hæreditaria in Nobiliſſimam hanc gentem propenſione, & benè merendi ſtudio, Chriſtianaq́ inſuper pietate ducti, ipſi in perſona cum Copiis Noſtris turbatum huius Regni Statum Deo adiuuante componere conſtituimus: operæ pretium exiſtimauimus beneuolè monere & adhortari omnes; vt lectis præſentibus, incolumitatem ſuam, ſuorum pignorum, tum bonorum conſeruationem ſartam tectamq́ velint, & propinquantibus Nobis ad fines Poloniæ, tempeſtiuè occurrant, ſuam Nobis, vel alia ratione addictionem ſtudiumq́ teſtaturi. Qui verò facere abnuerint, atque Noſtræ oblationi ſeſe oppoſuerint, non Nobis, optimæque ac prorſus innoxiæ huius intentioni adſcribere neceſſe eſt, ſi quid ſors belli & temporum iniquitas, malorum inuexerit. Nos omnes patrocinium Noſtrum non reſpuentes, clementer & placidè ſuſcepturos, à præſentibus belli ac temporum malis vindicaturos, libertateſq́ afflictas quantùm licebit reſtauraturos, ac inprimis conſcientiarum libertatem bonam pollicemur. Daturi Deo volente operam, vt pax alma refloreſcat, & tranquillitas publica ac priuata huic Regno poſtliminiò reducatur. Quas literas Noſtras propter fidem, & certitudinem maiorem, ſubſcriptione manus Noſtræ munitas, Sigillo quoq́ Noſtro communiri iuſſimus. Datum in Caſtro Noſtro Coles Monoſtrorienſi, die vltima Decemb. Anno 1656.

Georgius Rakocius. L. S. Michael Mikios Cancel. mpp.

Quemadmodum verò Brandeburgicus in Maiori Polonia Caliſſium, Poſnaniam, Coſtenum, &c. ita Tranſyluanus in Minori Polonia Vrbes principales Varſauiam, Cracouiam, Breſtenum, &c. veniens cũ exercitu, poſſederat, & ſuis iam firmârat præſidijs. Verùm Supremo Regum Dominatori, placuit Regnum ſuum Poloniæ de manibus gentium, quæ ſibi non ſeruiunt, paulò poſt vindicari, fugatiſque è Polonia gentibus, IOANNI CASIMIRO, Regi Poloniarum, fideli ſeruo ſuo clementer reſtitui.

Vrbes muniuntur præſidiis Rakocianis & Bradeburgicis.

Ne verò quiſpiam dubitet aliunde, quam Sacræ Iconis depoſito, Montem extitiſſe felicem: ſciendum eſt, ter quoque tentâſſe Suecum aggredi Monaſteriũ Clari Montis, priuſquam illud obſediſſet, & Sacrum inde pignus moueretur, Caliſſio, Petricouiâ, Cracouiâ, ad occupandum illud expediendo Copias, ſemper verò occultâ virtute territum, auſus ſui impietatem exhorruiſſe, & aliò diuertiſſe. Eius demùm diei nocte ſequenti, quò Mons Clarus Altare ſuum Sacra ta Diuiniſſimæ Matris effigie deſtitutum indoluit, Comes à Wrzeſczewicz cateruis Suecorum ſtipatus, tubarum horribili obſtrepens clangore, conſtitit ad portas Monaſterij. Apage hinc Iconoclaſtici Proxeneta belli, vtcunq; te Catholicum ſimulas, non ſunt Ierichuntina Virginei Mõtis mœnia, quæ hæreſeon pertinaces inſultus tremãt. Ianua cœli Porta hæc eſt, lucis æternæ Pharus, filij tenebrarum non extinguent eam.

S. Imagine conſiſtente in Claro Monte Suecus non valuit aggredi Monaſterium.

Poſt aſportatam aliò Imaginem S prima nocte ſequenti, Monaſterium aggreſſus eſt Wrzeſczewicz.

Poloni animo fiores fiunt, Claro Monte seruato.

Porrò Poloni, cùm vidissent diuinitus Montem Clarum ab hoste seruatum, maiore animi fiducia redierunt ad saniora consilia, Serenissimo IOANNI CASIMIRO fideliter morem gerendi, à quo non ita defecerant, sicut vitæ sanguinique suo indulgentes, extremis angustijs à diuersis hostibus oppressi, secesserant in partes Regis Suecorum, qui se ad protegendum Poloniæ Regnum, in tam calamitoso statu venisse iactabat, his Conditionibus.

Conditiones, cum quibus Sueco adhæserant Poloni

I. Vt Fides Sancta Catholica in omnibus Articulis illibata maneat, Ecclesiæq́ omnes integræ atque immunes seruentur. Episcopatus item, Abbatiæ, & reliqui Cleri status suo iure gaudeant.

2. Libertates Nobilium, sanguine Maiorum partæ, sicut antiquitus à Regibus collatæ sunt, in suo vigore conseruentur.

3. Bona Terrestria possideant Officiorum Præfecti, neque miles transiens ea Stationibus grauet.

4. Ij, qui nulla necessitate coacti, à Rege desciuerunt, non melioris sint conditionis illis, qui ad vltimum punctum ei fidem seruârunt.

5. In nullius Equitis caput sæuiat quisquam causâ non iudicatâ. Proinde Iudicia Regni Tribunalitia vsitata, & Castrensia integra permaneant.

6. Bona Regalia & Reipublicæ, penes præsentes possessores maneant, ijs exceptis, qui sub tempus belli deseruerunt Patriam.

7. Exer-

7. Exercitui Quartianorum in omnibus integrè stipendium secundum dispositionem Comitiorum persoluatur, & hiberna militibus constituantur; in quibus vbi respirauerint, arma & alia necessaria bello instrumenta reficiant, vel comparent, quò commodiùs militent in posterum.

8. Miles Regni nullo Sacramento militiæ obstringatur.

9. Prouinciæ à Regno bellis auulsæ, videlicet Ducatus Russiæ, Podlachiæ, Volhyniæ, Braclauiæ, Kijouiæ, Czerniechouiæ, & aliæ, & in ijs Magnus Ducatus Lituaniæ quamprimùm à Regiâ Maiestate recuperentur, quibus recuperatis, Hæreditates & Officia publica restituantur.

10. Dignitates & Magistratus sint præsentium possessorum, & in posterum solis Regni Incolis, non externis conferantur: similiter Duces belli nationis Polonæ creentur.

11. Quoniam verò fama increbescit, quòd Serenissimus Rex Suecorum cupiam potiùs alteri Regnum hoc exoptet, cauebunt Domini, vt Regia Maiestas, sicut liberè eligitur, ita præsens per se Regnum nostrum administret, non per vices gerentem.

12. Committimus insuper Illustribus & Magnificis DD. Nuntijs, vt circa coniunctionem cum Scythis, conferant cum Regiâ Maiestate, quatenus in eodem nexu nobiscum conseruentur.

Kk Quamuis

Conditiones præfatæ non valebãt absq; consensu Cleri.

Quamuis verò hæ Conditiones, ac eas secuta submissio Protectori, operari effectum nec potuit, nec debuit, lege vetante publicâ, absque Senatorum Ecclesiasticorum assensu, quorum in Polonia potissima est ab ipso Regni principio auctoritas, & in ijs proxima Regi potestas, Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis, Primatis, & Primi Regni Principis, ad quem pertinet Reges concordibus omnium Ordinum Ecclesiasticorum, & Sæcularium suffragijs ritè electos nominare ac promulgare, sicque promulgatos vngere, ac Regalibus insignire ornamentis: tamen in viscera Patriæ, callidâ specie protectionis illapsus, inexpectatus Regni Iuriumque Patriæ oppressor, armorum ostentans potentiam, cui confusus rerum tumultus, tum properam suggerere non valuit resistendi facultatem, hanc eis necessitatem imposuit, vt vitam, coniuges, ac liberos seruaturi, has scriberent Protectori conditiones. Interim Ecclesiastici Senatores voluntarium elegerunt exilium potiùs, quàm Regis Hæretici subscribere cõsilijs, aut votis aliqua in re assentiri. Videntes autem & Exercitus Regni, & Nobilitas vniuersa, à machinatore vafro sibi fuisse callidè impositum, nihilque ab eo quæ promiserat exsolutum, in defensionem Sanctæ Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ primùm, deinde Libertatum Patriæ, concordi voluntate conspirãrunt; moti præsertim auctoritate literarum Illustrissimi

simi D. Regni Primatis supramemorati, qui quamuis cum maximis podagræ doloribus luctaretur ea tempestate, quando grauissimæ Regno incubuerunt calamitates, non tamen cogitationem, consiliorumq; curam, ad salutem Patriæ restituendam, vnquam seposuit aut intermisit; imò non longè post expugnatam Metropolim Cracouiam, ad omnes Palatinatus diplomata transmisit, & Nobilitatem vniuersam ad Regis latus & obsequium feruenter inuitauit, vt ex subiectis literis satis est perspicuum.

Literis Primatis Regni animantur Poloni ad defendendam Patriam.

Andreas Comes à Lesno, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Archiepiscopus Gneznensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusque Princeps.

Illustrissimis, Perillustribus, Magnificis ac Generosis DD. Senatoribus, Dignitatibus, Officiorum quorumlibet Præfectis, ac toti Ordini Equestri Palatinatus N. Dominis & Fratribus.

BENE notum est DD. VV. quantùm quisque Vestrum, DEO, Patriæ, Regi, atque suæ posteritati debeat: Nimirùm, vt DEO fidem, Patriæ amorem, REGI debitum obsequium, liberis suis à Maioribus

ribus tantoperè quæsitam libertatem conseruet; tamen officio meo, cui ex instituto Reipublicæ ab ipso Regni principio incumbit, vt Serenissimi Regis Nostri Maiestatem, cum amore populi, & libertatem populi cum obsequio S. R. M. coniuncta fideliter custodiam, & tuear; deesse in præsenti Reipublicæ Nostræ calamitate non potui. Cùm igitur hoc maximè calamitoso tempore, quosdam à S. R. M. deficientes, quosdam perplexâ ambiguitate nutantes, quosdam constanter in officio permanentes viderem, considerarémq; attentiùs; quòd varietatem hanc confusio status, Patriæ ruina, Libertatis exitium continuò sint secutura, visum est mihi, Dominos & Fratres meos, pro fide, qua Deo, Regi, Patriæ, obstringor, adhortari, & obtestari, per Patriæ Vestrumq; ipsorum amorem: vt exemplis Maiorum Nostrorum, & hanc in rem sanctis conspirationibus eorum insistentes, & vnanimi voluntate idem sentientes, ad vsitatos Vestros Ductores, & Militiæ Magistros, vnà cum illis hostem expugnaturi, ocyùs conuolare velitis, ad latus Serenissimi Regis Domini Nostri, qui non Regnum deserturus extra illius fines concessit, sed vt auxilijs auctior ad Ecclesiam Dei, libertates iuramento stabilitas, atque suam dignitatem propugnandam, magis rediret idoneus. Minimè igitur ambigo, quin DD. VV. cum magno animi dolore, ac facultatum Vestrarũ detrimento, inuitum imperium genti liberæ callidè obtrusum detrectantes, & vitiorum exemplis cautiores, Serenissimo Regi Nostro

Nostro ac Domino IOANNI CASIMIRO adhærentes, omnes in solidum, pro Deo, & auitâ Maiorum virtute, iugum tristis Dominij sitis excussuri; eo enim pacto defensa Fide Sancta, à tot sæculis in Patria florente, necnon Libertatibus sanguine Maiorum partis vindicatis, & ad posteritatem transmissis, non ampliùs vnquam deserentes Dominum liberè electum, Vobisq; Sacramento obstrictum, nullam deinceps nationi Nostræ notam ignominiæ inuretis; eo præsertim attento diligenter, quòd quemadmodum S. R. Maiestas nihil prætermittit eorum, quæ ad conseruandam populorum salutem pertinere intelligit, ita & ego, quanquam ob valetudinis imbecillitatem ab ijs, quæ isthinc sunt, incommodis & periculis me ad breue tempus necessariò subducere debuerim, omne id, quod muneris mei est in Patriã, nec non in Deum fidei, exequi solicitè satago. Quod vt certiore fide constet, manu propriâ præsentibus subscriptis, Sigillum meum apprimi mandaui. Glogouiæ Minoris 17. Kalend: Nouemb. Anno D. 1655.

Accepto deinde tristi Nuntio Serenissimus REX IOANNES CASIMIRVS, Montis Clari Monasteriũ obsidione cinctum, vti pijssimus inter Christianos Principes cultus Deiparæ propagator, grauiter calamitate Patriæ indoluit; nihilominùs auxilij Diuini certus. Admodum R. P. Prouincialem admonuit, vt suos animaret, dum afforent auxilia: & biduò post hostis in Clarum Montem aduentum,

expediri iussit literas, quibus excitaret Nobilitatem ad propugnandam Ecclesiam Dei, libertatesque ac immunitates recuperandas, modum simul præscribens, quem in aggregando exercitu sequi deberent, omnibus, qui sibi obtemperantes fuerint, malefactorum dictorumque obliuionem pollicitus, inobedientibus autem & perduellibus, seueram animaduersionem comminatus.

Porrò post literas S. R. Maiestatis, & Illustrissimi D. Primatis, Exercituum & Nobilitatis facta est conspiratio huiusmodi.

Confœderatio Militis Quartiani & Nobilitatis.

NON credat Orbis, nec quisquam inducat in animum, inclytam Polonorum Nationem illecebrosis fœdifragi Domini pollicitationibus illectam, ab electo liberis suffragijs Rege defecisse vnquam. In confesso est, quòd tam Serenissimus Rex, quàm Ordo Equester, simul aduersâ oppressus fortunâ, in eas fuerit adductus angustias, vt ingruentibus ab omni parte hostium, coniuratis exercitibus, in vltimum Reipublicæ Nostræ excidium, S. Regia Maiestas finibus Regni excedere, Status verò militaris cum Palatinatibus, habuerit necesse in protectionem Regis Sueciæ concedere; cui secundùm animorũ Nostrorum obligationem datam scripto, in omnibus fidem conueniebat seruari, nisi prior ipse datam fefellisset.

Motiua Confœderationis.

Enimuerò quando consideramus, quomodo nulla penitus oblata sibi belligerandi Nobiscum occasione, contra fœdera per VLADISLAVM IV. *bonæ memoriæ Poloniarum Regem, Stondorfij cum Regno Sueciæ icta, Rempublicam armis aggressus est, & quantumuis ab vniuerso iam exercitu, & omnibus ferè Palatinatibus Protector fuisset consalutatus, omnemq; protectionem, & Sanctæ Religionis Catholicæ obseruantiam promisisset, nihilominùs intra breue tempus omnia interuertere & conuellere obtrusâ specie protectionis cœpit; iamq; ditiones Regni ab exercitu suo desolari, curias Nobilium expilari, ac funditus deleri, permittit, statum Nobilitatis, & omnes alios exactionibus grauioribus quàm census ferant aggrauat, & eas absq; omni Comitiorum consilio ex arbitrio suo mandat intra tempus arctum conferri. Magistratus & Iudicia omnia, tam Ecclesiastica, quàm Secularia, consuetudinibus antiquis & publicis firmata legib⁹ pessundat, ac eorum potestatem ad Gubernatores extranearũ nationũ, Nostri iuris & Patriæ consuetudinis ignaros transfert: qui delatos nec auditâ nec iudicatâ causâ Sacerdotes æquè ac Nobiles carceribus mancipare, Tyrannorum more trucidare, atq; bombardarum globis discerpi decernunt. Ad hæc Templis Domini, thesauro, & omni splendore apparatuum spoliatis, Religiosos per modum inquisitionis, vbi reliquum Ecclesiæ aurum argentumq; fuerit repositum, varijs supplicijs & cruciatibus ad necem vsque excruciat. Campanas nisi Summa redimantur intolerabili, pulsari prohibet. Basilicam ad extremum Czestochouiensem, non in Patria duntaxat,* sed

Potissimum Confœderationis motiuū Clari Montis oppugnatio.

sed per Orbem Christianum, votis & pijs peregrinationibus celeberrimam, aliquot millium exercitu cinctam, sacrilego ausu oppugnat, & mœnia tormentis arietat, diripiendi causa thesauros Dei cultui Sacros: atque vt diruto hoc in Deum, & eius Sanctissimam Matrem pietatis Nostræ fundamento, ausu maiori ad eliminandam prorsus de Regno fidem Catholicam progrediatur, & in eius locum introducat homines peregrinos, nouis & diuersis inter se de Religione opinionibus tumultuantes. Bona Reipublicæ benè meritis Ciuibus à S. R. Maiestate iuxta ius commune ad tempora vitæ collata distribuit, expulsis (quibus integra fore pollicebatur) possessoribus. Bona Ecclesiastica confert Sæcularibus personis, ijsq; diuersæ opinionis à rectâ fide, ademptis fructibus & possessionibus Ecclesiarum & Sacerdotū, vt laudem Dei ex Regno extirpet. Bona Regalia dedit adhærentibus suis contra Priuilegia & datam fidem. Cum Principe Tartarorum pacta conuenta & iuramentis stabilita negligit, imò iuratos Patriæ Nostræ hostes ad armorum societatem solicitat, vt nos iam tot calamitatibus fractos, in extremam perniciem bello Turcico implicitos trahat. In summa, quidquid Exercitui & Reipublicæ pollicitus est, ac literarijs instrumentis propriâ manu subscriptis cauit, omne id incontinenti pessundedit, fefellit, reuulsit. Templa Dei, statum Ecclesiasticum & Equestrem, atque cunctos humillimæ sortis Incolas Reipublicæ grauissimè oppressit. Antequam igitur tam durus, fide leuis, & verbo incon-

constans Dominus vlteriùs imperium dilatet, ac reliqua Regni munimenta suæ potestati subijciat, antequam exercitum Nationis Polonæ in graue iugum legum Germanicarum immittat, omni conatu, & totis viribus ambitiosæ ipsius dominandi libidini obsistendum est; præsertim, quādo Serenissimus Rex Noster IOANNES CASIMIRVS, liberis vocibus à nobis electus Dominus, certiores nos reddidit, quòd integritatem Sanctæ Fidei Catholicæ, Ecclesiæ Dei, & Cleri immunitates, imò & libertates nostras, vnà nobiscum propugnare velit, & sit paratus cuiuis discrimini pro incolumitate Patriæ, caput Regium obijcere, ac pro parte sua insignes nobis suppetias pollicetur. His itaque adducti rationibus, pro innata Polonæ nationi erga Dominos fide ac obseruantia, ne vlterior templorum Domini desolatio, totiusq; Patriæ squalidior deuastatio sequatur, prospicientes, omni protectioni memorati Regis Sueciæ prorsus renuntiamus, acta ipsius omnia rescindimus, & quocunque nomine factas bonorum collationes, irritas, & nullius roboris esse pronuntiamus, ipsumque, & omnes quocunque modo sibi adhærere velint, quantumuis sint Regni Ciues, si resipiscere nolint, hostes Patriæ declaramus, & contraq; illum, & illos, pro fide Sanctâ Catholicâ, & Ecclesia Dei, pro tam atrocibus iniurijs damnisq; Reipub. vindicandis, pro Iuribus, immunitatibus, & libertatibus Nostris recuperandis, coniunctim omnes, tam Exercitus stipendiorum exactione ad plenam Reipub. tranquillita-

Declarantur hostes Patriæ Suecus, & ei adhærentes Poloni.

quillitatem reseruata, quàm status Nobilitatis nullam iurium præteritorum modo quouis obtentorum rationem obtendens, via militari nos processuros manifestamus, atque hoc in bello constanter eòusque, dum Patria integram pacem consequatur, mansuros nos submittimus & obligamus, omnesq; in hoc proposito conspiramus & coniuramus. Nemo Nostrûm quenquam etiam in grauissimo casu deseret, nemo in alienas partes transibit, nemo vllas factiones, dissidia, segregationes, aut aliquos secretiores congressus molietur, nemo à signis desciscet, nemo clandestina consilia coget, nemo perniciosa Nostro nexui media tentabit, nemo separata conuenticula congregari faciet, sed omnes corde vnanimi, & voluntate constanti, laboranti Patriæ succurrere sanctè pollicemur. Et quoniam in hoc statu Reipub. confusæ, nonnulli Ciuium hactenus persistunt à partibus Regis Sueciæ, & eius consilijs inhærent, omnibus ijs ex certis rationibus vti Ciuibus Patriæ, amicitiam Nostram fraternè promittimus, dummodo coniurationis Nostræ certiores facti, antequam manus cum hoste conseruerimus, colligationi Nostræ sese adstringant, & vnà nobiscum hæreditarium hoc gloriæ Diuinæ Regnum, & Patrias Libertates tueantur; qui verò contumaces perseuerauerint, bona eorum iudicio Ducum & Commissariorum subsunto. Insuper, omnibus iure victis, foro abiudicatis, ac vniuersis vilioris conditionis hominibus etiam alienigenis, non tantùm benè merendi de Repub. locum damus,

damus, verùm etiam occasionem offerimus accedendi ad prærogatiuas Nobilium, qui iuxta vires in præsenti Reipub. obsequio, rem præclarè gesserint in nostro nexu permanentes. Atque vt eò commodiùs securitati Reipub. prouideatur, & eò solidiore fundamento nitantur, suscepta consilia, Illustrissimis, DD. Stanislao de Potok in Podhayce Potocki, Palatino & Generali Præfecto Terrarum Kijouiæ, Supremo Exercituum Duci, Krasnostauiensi & Sokaliensi Gubernatori. Stanislao in Brzezie Lanckoronski, Palatino & Generali Præfecto Terrarum Russiæ, Duci Campestri Copiarum Regni, Skalensi, Robatinensi Gubernatori, adiungimus Commissarios ab Exercitu, Illustrissimos, Perillustres, & Magnificos DD. Christophorum Tyszkiewicz, Palatinum Czerniechouiensem, Gubernatorem Zytomiriensem, Andream de Potok Potocki, Castrametatorem Generalem, Gubernatorem Vinnicensem, Hiacynthum Szemberk, Gubernatorem Boguslauiensem, Stanislaum Słuzewski, Gubernatorem Horodolscensem, Stanislaum Domaszewski de Vidlica, Iudicem Terrestrem Luceoriensem, Venceslaum de Brzezie Lanckoronski, Equestrium Cohortium S. R. M. Magistros, & Ioannem Sawicki, S. Regiæ Maiestatis veteranum militem. Singuli deinde Palatinatus singulos eligent numero suffragiorum Superiores, qui literis patentibus exhibitis electionis suæ, ac iuramento præstito, locum quisque sui Palatinatus obtinebunt in consilio, prout iam nonnulli Palatinatus eiusmodi Com-

DD. Ducibus Regni Commissarij adduntur.

di Commissarios elegerunt, dantes prædictis Illustrissimis DD. Ducibus, & eis adiunctis Commissarijs, omnem potestatem & iurisdictionem, cum adminiculo & consilio DD. Commissariorum per Palatinatus eligendorũ, (qui omninò adhiberi debebunt, aliàs nihil concludetur) omnes facinorosos, & iuri publico ac Nostro huic nexui repugnantes, & quorumcunque scelerum patratores omni appellatione remota, iudicandi & puniendi, omnibus periculis Reipub. obuiandi, consilia quæuis agitandi, legationes expediendi & suscipiendi, cum extraneis Principibus conferendi, societatem armorum conciliandi, pacta & fœdera concludendi, pecuniam conquirendi vsui publico, necessitati omni Patriæ prospiciendi, & demùm, quidquid è re illius fore perspexerint, agendi, soli Deo gesti negotij rationem reddituri. Eo attento, quòd quicunque Illustrissimorum Ducum iudicijs & consilijs præsenti Reipub. statui accommodatis præsidebit, illius vna sententia duarum continebit valorem, vt sic omnia consilia maiore numero vocum concludantur, aliquorum absentia nihil obstante, quominùs causa decidatur; qua nostra dispositione, nihil derogare intendimus Illustrissimorum DD Ducum potestati, ac eius vsui circa militarem disciplinam. Porrò, vt hæc iudicia, consilia, & reliqua negotia Reipub. quàm maximâ iustitiâ & accuratione tractentur, & nexus tam Sanctus maiorem habeat efficacitatem, eum iuramentis ad aram maiorem in Ecclesia formulis inferiùs descriptis confirmamus.

Iura-

Iuramentum Illustrissimorum DD. Ducum.

EGO N. DEO *in Trinitate Vni, & Omnipotenti iuro, quòd Officio mei Magistratus, & obligationi huius fœderis, mihi ab Exercitu & Incolis Regni impositæ, pro viribus meis voló satisfacere, & quidquid ad officium meum spectat, secundùm Deum, conscientiam, & ius commune faciam, nullum respectum priuati commodi habiturus, nec de illo tractaturus. Omnia negotia tam publica, quàm bellica, ad Reipub. bonum referam, & dirigam. Arcana vt Iudiciorum, ita & consiliorum omnium nemini pandam. Sic me Deus adiuuet, & innocens Passio Filii eius.*

Iuramentum Illustrissimorum DD. Commissariorum.

EGO N. DEO *in Trinitate Vni, & Omnipotenti iuro, quòd muneri Officii mei & obligationi, mihi ab Exercitu, & Incolis Regni, per præsens fœdus impositæ, satisfacere volo pro viribus, in consilio ac sententia, quam secundum Deum, conscientiam, & ius commune feram, nullius commodi priuati, neque amicitiæ vel inimicitiæ, munerum, vel eorum pollicitationis rationem habebo. Pactiones nullas faciam, sed ita in Iudiciis, sicut*

 & nego-

& negotiis omnibus bonum commune respiciam, iudicium conscientiæ meæ secuturus. Arcana etiam nulla, tam Iudiciorum, quàm consiliorum, cuiquam reuelabo. Ita me Deus adiuuet, & innocens Passio Filii eius.

Iuramentum tam Exercitus, quàm Incolarum Regni.

NOS NN. DEO *in Trinitate Vni, & Omnipotenti iuramus, quòd secundùm obligationem Nostram, Illustrissimis DD. Ducibus Nostris, & DD. Cōmissariis datam, pro Fide, & Ecclesia Catholica, pro Serenissimo Rege Nostro* CASIMIRO *fido Nobis Domino, Iuribus & Libertatibus Reipub. Nostræ, absque omni disiunctione & dissidio, quamdiu Respublica paci non fuerit restituta, & Nobiles Fratres Nostri, in huius nexu fœderis nobiscum perseuerauerint, constanter sub iurisdictione Ducum Nostrorum, & Commissariorum eis adiunctorum, manebimus, nullas corruptelas, vel priuatos respectus sequendo, nulla conuenticula cogendo, nec vlli seditioni adhærendo, sed Deum solum, & incolumitatem Patriæ præ oculis habendo, pro ipsius salute, Nostram parati opponere. Sic Nos Deus adiuuet, & eius Passio Sancta.*

Iam igitur in Nomine Domini, vniuersali & sanctè colligato nexui parentes, simul equos & arma capessamus: quamobrem Generalem omnium Ciuium Expeditionem decernimus, & Vniuersalibus edictis paulò ante promulgatis, quæ etiam nunc confirmamus, hoc subiungimus; vt continuò se sistant omnes loco & tempore destinandis, recenti mandato sub pœna & ipsius executione, tam in personis, quàm in fortunis nexui Nostro non obtemperantibus irroganda, quæ maximæ videri poterit efficacitatis Ducibus & Commissarijs Nostris ad reducendos in officium contumaces, (etiamsi confestim in eos signa moueri debeant) quam nemini prorsus indulgendo executioni seriò demandabunt. Quoniam verò de aliquibus Palatinatibus, & Terris Regni Nuntij designati ad colloquendum nobiscum, & vinculum firmandum adesse nequiuerunt, ob grassantis hostis pericula, fraternè illos inuitando, in fidem Nostram recipimus, quòd quamprimùm in Nostrum consortium venerint, præmissis iuramentis eiusdem formæ, locum inter Commissarios habebunt. Et quemadmodum altissimæ Maiestati Diuinæ demissè supplicamus, vt generalem hanc & sanctam huius Nostri consilij concordiam, intentione laudabili connexam, prosperare dignetur, ita minimè dubitamus, quin Illustrissimus Dominus Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ, ac Incolæ plurimi, ad coniungendum vires eidem concordiæ sint parati eò studiosiùs, quò celeriùs in hostem procurrendum est. Et quòd Illustrissimi, Magnifici, ac Generosi DD. vti communis Matris & Patriæ vnius filij, Commissarios ad conferendum & communicanda nobiscum consilia, quamprimùm

mùm expedient, plena ipsis attributa præmissa tractandi & exequendi facultate, salua per omnia Illustrissimorum DD. Ducum & Commissariorum à Nobis electorum iurisdictione & authoritate. Hanc itaque constitutionem laudabilis istius nexus iuramento firmati, Illustrissimis DD. Ducibus & Commissariis ad exequendum & puniendum priuatione salutis, honoris, & bonorum quosuis repugnantes, damus, & omnia hic definita in omnibus punctis tenere & seruare promittimus; ac proinde pro certiori ac grauiori fide, valore, vinculum hoc circa subscriptiones Illustrissimorum DD. Ducum & Commissariorum Nostrorum, aliqui per designatos à signis & Palatinatibus, aliqui propriis manibus subscribimus. Actum Tyssouiciis die 29. Decembris, Anno Domini, 1655.

Edidit & alterum diploma, in quo friuolam suspicionem euellit ex animis nonnullorum Nobilium, qui aduentare Tartarorum Copias auxiliares, in euersionem status Nobilium vulgi rumore incerto conterriti metuebant, tenoris eius.

Andreas Comes à Lesno, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Archiepiscopus Gneznensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusque Princeps.

Illu-

Illustrissimis, Perillustribus, Magnificis ac Generosis DD. Senatoribus, Dignitarijs, Officiorum quorumlibet Præfectis, ac toti Ordini Equestri Palatinatus N. Dominis & Fratribus.

Literæ Primatis Regni, quibus testatur Tartaros venire ad succurrendum Patriæ, non ad subuertendum Nobilitatem.

Certus sum, iam per Palatinatus ad plurimorum notitiam, tam diplomate S. R. M. quàm ipsa fama peruenisse, quòd DEUS Opt: Max. auxilijs & consilijs humanis deficientibus, Omnipotentiam suam in hoc maximè manifestauerit, dum peccata Nostra vltus, misericordiam tandem Nobis clementer impartiens, per Tartaros & Kozakos, quos ante in ruinam Nostram exciuerat, saluare nos disponit. verùmtamen, quia fortassis S. Regiæ Maiestatis literæ, ob viarum discrimina ad omnes peruenire non poterant, vtile arbitratus sum & meo dignum munere, vt diuinum hoc beneficium omnibus luculenter iterum annunciarem. Profectò ordinatione Diuinâ factum est, quòd Han Crimensis, cum ingenti suorum exercitu Terras Nostras ingressus, Chmielnicium ad obedientiam Serenissimo IOANNI CASIMIRO, liberis Nostris vocibus electo, sub iuramento præstandam, adduxerit, & cum eo coniunctis Copiis, ad debellandum quosuis S. R. Maiestatis hostes, tenax vtrinque pactorum ire velit. Innotuit simul, quòd Exercitus, qui nunc cum DD. Ducibus

 est,

est, nunquam in deditionem alteri Regi consentiens, & si quid contrarium per Superiores gestum est, nullatenus approbans, in fide erga Deum & Patriam firmiter perseueret, ac inhærendo S. R. M. lateri, ad exterminandos eius hostes, libertates suas à Maioribus acceptas armis vindicandas, totamq; Patriam, è tyrannide, & oppressione hostium eruendam, concordi voluntate conspirauerit. Qua militis inclyti alacritate nixus Serenissimus Rex mouit iam legiones, paratus pro & cum illo salutem obijcere periculis, semper alias hoc facturus, nisi ab omnibus desertus destitutusq; fuisset. Quoniam verò recens inaudiui, laborare plerosq; suspicione peruersâ, quam rumor aut ab ipsis hostibus, aut ab impiis in Deum & Patriam Ciuibus hosti adhærentibus sparsus ingessit, quasi S. R. M. in excidium status Nobilitatis legiones Tartarorum accersiuerit, idcircò pro Officio meo Primatiali, vt gliscentis famæ leuitatem conuellam, omnibus & singulis DD. & Fratribus meis manifestum facio, & meâ authoritate Primatiali contestor, nunquam hanc in mentem Optimi Principis cogitationem venisse, qui enim exitium moliatur Patriæ illius, cui Natales Regios educationemq; debet, & cuius semper quàm maximis studuit incrementis, si priuatorum commodorum rationibus procul auerruncatis, omnes hûc operam, & consilia Nostra contulissemus. Singulare opus est Diuinæ bonitatis & potentiæ, vt dum alij Christiani Nostra pernicie gloriantur, alij admirantes, nullum adferunt subsidium, aut

aut adferre fortassè differunt, salutem Nostram operetur per eos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, vt Christianis præbeant exemplum colendæ amicitiæ & vicinitatis, & sic Omnipotentis dextera labantibus porrecta, nequaquam sinat interire Regnum illud, in quo præ aliis Diuinæ eius Maiestatis cultus sanctissimè floruit. Quod verò non ad euertendum Nobilitatis statum, verùm ad debellandos hostes Serenissimæ Regiæ Maiestatis & Patriæ, auxiliares Tartarorum legiones veniant, experiuntur iam nonnulli Palatinatus eius societatis fidem, dum se nullis vexari molestiis, nullis iniuriis affici à Tartaris queruntur, sed æquè his atque aliis S. R. M. exercitibus eorum Copiæ associantur. Itaque Domini & Fratres mei, exuite omnem metum & suspicionem; potiùs verò exemplo S. R. M. spem in Vestra virtute atque alacritate collocantis, Vos vicissim illius exercitibus prompti associamini. Perspectum quidem est S. R. Maiestati plurimos malitiâ peccâsse; verùmtamen, tam his, qui spontè, quàm qui potentia hostili adacti transierunt in partes Suecorum, indulgentiam & benignitatem pollicetur Clementissimus Dominus, ita, vt nullum omninò cuiquam à suis, suoq; exercitu, aut Tartarorum Kozakorumq; auxiliis periculum sit metuendum, nisi qui oblitus Dei, Regis, ac Patriæ, hosti pertinaciter adhærere vellet, quem nemo Ciuium Patriæ studiosus & virtutis pateretur inultum. Reassumite igitur animos, & dum tempus iuuat, aureâ libertate instauratâ, excussoq; iugo tyran-

tyrannidis, & fœdæ seruitutis, aspersam nationi Orbe vniuerso labem & ignominiam abstergite; Nam etsi nunc hostes terrore Tartarorum & fama exercitus aduentantis paulò mitiores sunt, attamen citò ad exequendum propositum reuersuri sunt, & non tantùm statu Nobilitatis, sed & nomine Polonorum extirpato, abominandas quarumuis hæreseon in Regnum Poloniæ, semper fidei Diuinæ & Ecclesiæ Romanæ deuotum colonias inducturi. Hæc pro muneris mei Officio DD. Vestris manifesta esse volui, per amorem non Patriæ duntaxat, sed illius etiam, cuius pretiosissimo Sanguine sumus redempti, obtestans, vt si quando, nunc Vos Orthodoxos, Ecclesiæ Romanæ vniuersalis filios genuinos, à Maioribus Vestris minimè degeneres Polonos præbeatis. Ego ad Dominos & Fratres meos festinus accurro, vt aduersis compassurus, sic prosperis successibus Vestris congratulaturus. Faciet Deo auxiliante annus hic labens finem calamitatibus, & nouis Patriam felicitatibus secundabit. Nissæ, tertiò Kalend: Ianuarij, Anno Domini, 1656.

Atque hinc perspicuum est, Beatissimæ Deiparæ Virginis protectioni, tàm Montis Clari defensionem, quàm Polonorum in ipsis incendijs belli, & Martio furore fortitudinem, nouo diuinitùs excitatam impetu, in acceptis ferri debere. Nam eo ipso tempore, quo à Monte Claro repentinâ trepidatione perterritus & confusus discessit hostis, Poloni congregati nouo se fœdere adstrinxerunt ad sacrilegos eius conatus reprimendos; vt vigor eorum animis, idem qui Claromontanis circa defensionem inerat, eiusdem Virginis beneficio appareat communicatus; præsertim, quòd suæ à prætenso Protectore defectionis rationem potissimam afferant Montis Clari oppugnationem, (quasi de illo omnia iam bona desperassent, & iustè metuerent, diuina humanaq; iura funditùs ab eo conuulsum iri, qui Sancto Loco & miraculis celeberrimo minimè pepercisset) veterum Diuinæ legis zelatorum in propugnandis templis & aris secuti magnanimitatem.

Zelus antiquorum in propugnandis legibus Ecclesiæ & Patriæ.

Est enim vis efficax maximè in omnibus rectè de Religione sentientibus, ad permouendas & acuendas sacrorum profanatione in quæuis pericula vires, in omnes ausus sese attollens. Lumen hoc ipsum naturæ, animis hominum insculpsit, vt similiter intelligant, nullam stare posse Ciuitatem, siue Rempublicam, nisi habeat separatos à negotijs profanis, & oneribus exemptos viros, quorum sit Officium Diuinum Numen propitiare; vt dum quisque suis ex ordine inuigilat muneribus ornandæ aut defendendæ Patriæ, Rex protectioni Regni, miles armis, arator aruis, aris incumbat Sacerdos; quatenus cætera Officia Reipublicæ: benè constent cœlestis gratiæ vbertate irrigua. Neque vlla gens tam effera vel immanis extitit, quæ vt veri Dei notitia esset destituta, colendum

lendum tamen non putaret animi corporisque cultu, sacrificijs, ceremonijs, ac ritibus exterioribus ad submissionem erga vniuersorum Dominum, vtriusque vitæ largitorem ordinatis. Hinc Numa Pompilius fundamentum iecit Romanæ Vrbis, Sacerdotes, aras, & solennitates, quibus ritè vt putabat constitutis, perpetuò staturam credebat Rempublicam. Primi Adæ filij Cain, Abel, Noe, necnon Legis Mosaicæ professi, colebant Deum sacrificijs & ritibus externis, quos eis ipse præscripsit, vt vmbram præferrent futuri legis nouæ sacrificij. Ab ijs qui diffident, quomodo salutaria media Patriæ ad animorum coniunctionem afferre possunt, quibus cura est omnis in Religione diffidere? cùm tamen Religiosi quique ac Deum timentes viri, semper legis Diuinæ oracula summâ fide ac constantia tueri sacrosanctum habuerunt, ne à Deo primùm tum & ipsi inter se diffiderent vnquam, & exercitibus gentium superandis, coniunctis viribus non essent impares. Pro eo dederunt animas inuicti, nec in sententiam Illustris Antiochi protracti Machabæi, sanguine cultum Dei obsignantes: inter quos excelsi animi fortitudine Mathathias eminuit, qui impiam alienigeni cultus superstitionem, in Patriam nouo exemplo inducentem indigenam, & thus adolentem idolo, quod Patres ipsius ignorârunt, ad aram ipsam gladio confodit, simulq; Regis mandata ad executionem vrgentem Præfectũ, vindi-

vindictâ tuendi honoris Diuini accensus obtrũcauit. Hanc legum diuinarum & patriarum defendendarũ constantiam, probauerunt fornace Babylonicâ tres iuuenes fortunatissimi, qui ne auscultarent mandato Regis, in impiam & Patriæ inusitatam sese pertrahentis idolorum seruitutem, tolerabiliorem ignis vim æstimârunt, vltroque flammas sibi paratas non detrectârunt, ne superinductâ superstitione contaminarentur. Hâc fortissimus Iudas Machabæus fratrum animos generosè accendit, vt pro cultu veri Dei, & sacris Patriæ institutis, minimè dubitarent gloriosè potiùs occumbere, quàm mala gentis suæ (quorum caput est prostrata veri Dei Religio, & Sancta Fides conculcata) intueri.

Non dispar zelus sanctioris Religionis, Polonorum animos ab oppugnato Częstochouiensi Monte accendit, qui propugnandis aris templisque Domini, sed inprimis Basilicæ Claromontanæ, sanguinem vitamque generosè deuouerunt: fuitque tolerabiliùs bonis exui, fortunisque priuari suis, quàm Sanctæ Fidei Catholicæ aduersaria dogmata sibi obtrudi, quod iam procliue fuit Sacerdotibus eiectis, si Mons Sanctus temeritate sacrilegâ ab Hæretico contaminatus fuisset præsidio. Eminuit hoc singulariter in Serenissimo Rege Nostro, ac Domino Clementissimo studium, qui moratus interea in Ducatu Opoliensi, omnem solicitudinem defendendo Sacro Monti adhibuit,

Zelum antiquorum æmulantur Poloni.

hibuit, & conuocato Senatu, communicatisque cum eo circa tutamentum & conseruationem Patriæ consilijs, amicitiam cum Principe Tartarorum confirmauit, eumq; in societatem armorum acciuit contra Hæreticos, apud quos nihil valeret Religionis autoritas, sacra omnia profanaque pari æstimatione reputantes. Nam & miratos aliquos ex Scythis audiuimus, quæ fuisset Christianorum impietas, Sacrum Locum armis adoriri audere. Confirmauit deinde frequentiùs literis animos Nobilium, qui se tam sancto fœdere obstrinxerunt pro Fide Catholica, & Ecclesiâ contra quosuis hostes pugnandi, ac vt in eo nexu permanerent, constanter admonuit; tandem collecto exercitu, auxiliaribus Copijs obuiam iuit, quò coniunctis viribus hosti per viscera Patriæ impunè grassanti hactenus, & animo iam fluctuanti, maiorem incuteret terrorem. Atque vt hæc felicem haberet successum expeditio, Supremæ Vniuersorum Domini supplicauit Maiestati, Votumque in Cathedrali Ecclesia Leopoli, ad aram principem B. M. Virginis, intra Missarum solennia, Sacris tunc operante Illustrissimo & Reuerendissimo Domino, D. Petro Vidono, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopo Laudensi & Comite, ad S. R. M. Regnum Poloniæ, ac Magnum Ducatum Lituaniæ, cum facultatibus Legati de Latere Nuntio, in hæc verba fecit, vniuerso Clero & populo audiente, Senatu annuente, ac ipso totaque

totaque aula Regia verba Regis excipiente, ac ijs se simul obligante Kalendis Aprilis, Anno Domini, 1656.

Votum Serenissimi Regis Leopoli factum.

MAgna DEI Hominis Mater, & Virgo Sanctissima. Ego IOANNES CASIMIRVS, Tui Filij, Regis Regum, ac Domini mei, Tuaque miseratione Rex Sanctissimis Tuis aduolutus pedibus, Te in Patronam meam, meorumque Dominiorum Reginam hodie deligo, atque me, meumque Regnum Poloniarum, Ducatus Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Czerniechouiæ, Exercitus vtriusque gentis, populos vniuersos, Tuæ singulari tutelæ atque patrocinio recommendo. Tuam opem ac misericordiam hoc in calamitoso ancipitique Regni mei statu, contra hostes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ supplex imploro. Et quia maximis beneficijs Tuis obligatus impellor cum gente meâ ad nouum idque feruidum Tibi seruiendi desiderium, promitto deinceps, meo, Satraparum, populorumque nomine. Tibi, Tuo Filio, Domino

 mino

mino Nostro IESV CHRISTO, me cultum & honorem Tuum per Ditiones Regni mei omninò propagaturum. Promitto denique ac voueo, me, vbi præpotenti Tua intercessione, & Filij Tui magna miseratione de hostibus, & præcipuè Suecis victoriam obtinuero, apud Sedem Apostolicam procuraturum, vt Tibi, Tuoque Filio, in gratiarum actionem quotannis dies hic solennis & festus, idque in perpetuum habeatur, daturumque cum Episcopis Regni operam, vt id quod promitto, à populis meis impleatur. Cùm verò magno animi mei dolore luculenter videam, propter gemitum & oppressionem hominum conditionis plebeiæ, in Regnum meum immissa à supradicto Iudice flagella, pestis, bellorum, & aliorum malorum per hoc septennium; promitto insuper ac voueo, me seriò cum vniuersis Ordinibus, pace constituta, rationes omnes initurum, vt à grauaminibus iniustis, & oppressionibus, populus Regni mei eximatur. Fac, ô misericordissima Regina, & Domina, sicut

eam

eam mentem mihi ad hæc concipienda vota dedisti, vt gratiam apud Tuum Filium, ad eadem implenda impetrem.

Obortæ sunt lachrymæ populo audienti verba Regis, cuius exemplo & ipse magno animi feruore, peculiari se cultui Deiparæ Virgini addixit, (vt iam nihil alacriùs audiat, quàm Beatissimam Virginem MARIAM Reginam Poloniæ dici) & hoc omne breui sibi affore victoriam certò spopondit. Audijt Summus rerum Monarcha, pij Regis vota; nam hostis non multò post fluctuare animo cæpit, & quaquà versus exercitum circumducere, ac insigniter accisis per loca diuersa Copijs, compulsus est in Prussiam reuerti; maiori parte sui exercitus amissâ. Nec destitit Regum Supremus, qui olim per arcam Noë ne aquis diluuij periret, seruauit genus humanum, Regem quoque ac Regnum Sacratissimæ suæ Matris protectioni commissum, in vlterioris belli discriminib⁹, per arcam fœderis Claromontanam, gentem ab extrema clade vindicando Polonam, manu potenti tueri. Benignam eius in se manum ambæ Maiestates expertæ sunt: nam paulò post Serenissima Regi-nalis Maiestas Dantiscum pergens, iamque in finibus Prussiæ Choynicijs consistens, cùm in Suecorum insidias insperatè incidisset, mirabiliter & verè Deo patrocinante manus eorum euasit, insidiantibus hostiũ

Circa SS. RR Maiestates singularis protectio Dei.

S. Reginalis Maiestas euasit insidias Suecorum.

 Copijs

Copijs partim cæsis, partim captis, aut confusis, per Illustrem D. Stephanum Czarniecki, Castellaneum Kijouiensem, vt ideò Serenissima casu admonita, mutauerit itineris suscepti propositum, ac in Maiorem Poloniam regressa Calissium concesserit.

Regi CASIMIRO abitus Gedano in Poloniam præcluditur per Suecos.

Porrò Rex CASIMIRVS Suecum in Prussiam tum insecutus, postquam aduertit vrgente hyeme hostem per Præsidia fuisse dilapsum, exercitum quoque suum belli incommoditatibus fractum, in hiberna cum Ducibus Regni in Poloniam dimiserat, ipse autem cum paucis peditatus Copijs & armatura subsiterat Dantisci. Quâ prehensâ occasione, Suecus, per educta celeriter præsidia, omnibus itineribus circa Gedanum insessis, Regi CASIMIRO ab exercitu seiuncto, vaferrima calliditate in Poloniam interclusit regressum. Calissium igitur regressa S. Reginalis Maiestas, vt aduertit ob Regem à Regno disitum, Rempublicam Polonam nondum solidè pacatam, nouis ijsque grauibus seditionum periculis exponi, indixit subitò Senatui, vt omni morâ sepositâ Częstochouiam conueniret, secum consulturus, quomodo Regi intercluso subueniendum sit, vt Gedano eductus Regno ne nouis exagitetur motibus, quantocyùs possit restitui. Destinauerat autem pro congregando Senatu Częstochouiam, Loci Sacri à Deo recenter defensi felicitate permota, spem cum voto firmam concipiens, Deum Regi & Regno adiutricem

Clarus Mons à Regina destinatur pro consilio Senatui.

porrectu-

porrecturum dexteram à Monte Claro, qui præsenti calamitoso Reipublicæ statu, solus sub auspicijs Deiparæ Virginis, superatis hostium conatibus stetit immunis, vt eius exemplo ad rectè Patriæ consulendū Polonorū excitarētur animi, & sub ijsdem Diuæ Claromontanæ auspicijs optatū belli exitum sortirentur.

Rex CASIMIRVS dexteritate Czarniecij Gedano in Poloniam reducitur.

Adfuit Deus votis supplicum, nolens facere irritam spem Reginæ innixam consilio, nam ad primam notitiam Regiæ voluntatis primarij viginti quinque Senatores in Montem Clarum confluxerunt. Interea verò Illustris D. Czarniecki, Castellanus adhuc Kijouiensis, Vir magnus animo, & experientiâ militari, pro suo singulari ingenio, & generositate in Prussiam irrumpens, cùm multos hostium per Præsidia dispositos, & nihil hostile metuentes cæcidisset, vt & Sztēbogium Generalem exercitus Suetici Gedano procul auerteret, simulato quasi hostem metueret ex Prussia recessu, eum post se cum exercitu currentem longiùs abduxit. Quo facto ordinatis aliquot signis militum, qui cum G. D. Woyniłowicz loco sui Sztembogio præirent, eum vlterius abducturi; ipse cum lectâ militum manu ad latus declinando, omnem hostis solertiam celeritate anteuertens, retrò versus Gedanum perrexit, & Regem inde summâ dexteritate per deuios & remotos saltus eductum, Patriæ priùs reddidit, quàm Suecus elusum se, sibique ereptum Regem Polonorum cognouit. Breui interuallo tem-

Rr poris

poris, Senatui in Claro Monte congregato, & quomodo Regi succurrendum esset consulenti, sistitur Rex cum omnium lætitia minimè speratus; vbi mutato consiliorum proposito, defendendæ & conseruandæ Patriæ intendens, cum Senatu grauissima negotia, & quæ pluribus Comitijs ægrè componi poterant, præcipuè Moschouiticum, Deo ad Beatissimæ Virginis preces consilia dirigente, cum omnium admiratione intra paucos dies felicissimè composuit.

Sistitur Rex in Claro Monte pro Comitÿs.

Sic irradiato Monte gratiarum cœlestium nitoribus, virorum ex congregatione Senatoria Ordinis vtriusque præcipui, recolligentes & diligentiùs considerantes præsentes rerum in Claro Monte successus, necnon Montis ab hoste nuper defensi felices ac inexpectatos euentus, & aduertentes eos Loco Sacro, non per humanarum virium potentiam, nec per difficilem natura vel ingenio loci accessum, sed merè diuinâ bonitate, abundè (vt in omnes Dei munificentia diffunderetur) impensos, vniuersi in laudem Dei & Sanctissimæ Christi Parentis effusi sunt, non ingrati beneficij Diuini. Multis tum fauoribus Rex & Proceres, & in præsenti præstitis, & pluribus in futurum præstandis, Locum Sacrum prosecuti sunt. Auctum ex S. R. M. peditatu ducentis quadraginta militibus Monasterio Præsidium. Pro centum quinquaginta Loci Sacri Præsidiarijs, stipendium per Senatus consultum ex publico ærario consignatum. Munitio

Poloni grati beneficiorum Dei à Claro Monte.

nitio Monasterij vt in meliorem formam reducta perficeretur, & nouis exteriùs firmaretur propugnaculis S. R. M. liberalitate decretum. Imò pio grati animi affectu in Deum & Beatissimam excitati Serenissimi, non expectata meliori pacis commoditate, quantùm angustia & calamitas temporis permisit, sine mora, vallo & fossa cingi Monasterium mandauerunt, omnibus qui tum ad latus eorum conuenerant, operam & impensas certatim in id conferentibus. Ipsæmet SS. RR. Maiestates Magnum Imperatorem Constantinum imitatæ, in honorem Supremi Numinis, & Augustissimæ Cœlorum Reginæ, manibus labori consecratis, pro erigendo in fronte Capellæ propugnaculo, terram & rudera sarculis egerebant. Regum institerunt exemplo Senatus & Aula Regia, magnam diei partem, aliqui dies etiam integros laboris exercitio impendentes. Gynæceum insuper fastum & molitiem domus Regiæ, eruendis euehendisque mancipando ruderibus, seriò ac promptissimè incubuerũt operi; cui & nomen hinc relictũ.


Singularis affectus Regiæ Maiestatis in Locum Sacrum.

Regium Propugnaculum.

Post paucos autem dies ab aduentu Regis Serenissimi in Montem Clarum contigerat Dominica Passionis, trinum apparuisse Solem in Meridie, visamq; simul duplicem Coronam Solarem candidam, quarum altera latiùs per aërem extensa cingebat cum Monte toto Monasterium, altera longè strictior versus Meri-

Omen felicioris progressus.

ſus Meridiem porrecta, ad orbem vſque Solis faſtigio pertingebat.



Iucundum erat ſuſpicientibus intueri cœleſte illud ſpectaculum, eò quòd putaretur omen victoriæ certum

certum, & euidens reconciliati furoris Diuini argumentum. Quemadmodum enim ferale prodigium illud in Sole occiduo tertio ante anno viſum, prænunciabat gladij ſæuiciem, & atrocem humani ſanguinis effuſionem: ita candor Solis & Coronarum inſolitus, victorioſæ pacis palmas & trophæa amœniſſima deſignare credebatur. Et cui dubium, oſtentum hoc non ad mentem præſagientium ſucceſſiſſe? Ex quo etenim Montem Clarum ſub patrocinium Auguſtiſſimæ Cœli & Poloniarum Reginæ ſubijt Rex Sereniſſimus, ampliſſimis gratiarum cœleſtium donis, & Auſtriacæ Laureæ ſufficientibus ſubſidijs auctus, ita felix & potens euaſit, vt ſui nominis famà hoſtem exterritum fugauerit è ſuis ditionibus, & Regnum quod iam in multas partes diuiſum, atrociſſimè igne & gladio ſæuiendo hoſtis diripuerat, de manibus & immanitate tot gentium feliciter vindicauerit.

Vide ſera Polonorum poſteritas, quanto tibi conſtitit emolumento cultus Beatiſſimæ Dei Parentis, quem vna cum Fide Orthodoxa Tuus Apoſtolus S. Adalbertus, Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Martyr ſtrenuè promouit. Hunc ſi eadem conſtantià tenueris, alacri feruore promoueris, ac generoſo pectore propugnâris, plurimùm profueris Patriæ, Maiorum Tuorum veſtigia præclarè ſecutura, & eo pacto, vel ipſis Erebi ſatellitibus metuenda. Videat & miretur Orbis Chriſtianus, quàm ſtrenuè Noſtra Regina, ea-

 demque

demque Cœli & Terræ Imperatrix, fidele sibi defendat Regnum, & quàm præsentaneum ferat auxilium clientibus humanâ ope destitutis. Excitet Angelus Domini Exercituum Custos Poloniæ Cœlestes Phalanges, ad æternùm agendas Supremæ Numinis Maiestati vnâ nobiscum grates, pro tanto beneficio, & omnes hostes qui ad extirpandum cultum Angelorum Reginæ conspirârunt in Polonia, potenti virtute deprimat. Iam ipsi hostes triumphati, Victoriosæ Virgini, & terribili, *vt Castrorum acies ordinata*, Imperatrici, perenne Monte Claro fixerunt trophæum; qui dum ab oppugnatione ipsius reuerterentur, ad eleuandam vanitatem, trossulorum fortitudinem iactantium, nouum commenti sunt, non sine mordaci sarcasmo prouerbium: *Vir es, abi oppugnatum Czestochouiam*; & aliud quo importunis quibusuis cum execratione malum imprecentur: *Apage Czestochouiam.* Quinimò plurimi viri graues testati sunt, percontantibus sibi, quid de Częstochouiensi Monasterio, ac eius expugnatione Sueci sentirent, passim à diuersis responsum: *Czestochouia virorum fortissimorum Sarcophagus.* Et verè dixissent extremũ Sueticæ fortunæ scopulum, ad quem Regis Suecorum allisa potentia, non amplius assurrexit.

Prouerbia Suecorum de Czestochouia

Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

ORATIO, Quâ

STEPHANVS DAMALEWICZ, S. Th. Doctor, Canonicorum Regularium Lateranensium ad S. Nicolai Ecclesiam Calissij Præpositus,

Reuerendis Patribus Claromontanis, Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, insuperabilem tolerantiam Obsidionis Quadragenariæ gratulabatur.

QVemadmodum procellosis hactenus iactati bellorum tempestatibus, Virgineum Sidus Montis Clari suspeximus, non aliunde certiùs afflictis rebus Patriæ auxilium expectantes; ita oriente iam optatæ consolationis aurora, non dissimiles oscinibus dulci cantu eam salutantibus, pro agendis immortalibus Maiestati Supremæ gratijs, æquum est maximè, ad eundem Montem cum faustis triumphantium applausibus accurrere: vt vnde flumina beneficiorum exeunt, illuc sancta reuolutione gratiarum reuertantur. Impium est diffi-

diffiteri, quòd non ſola excluſi mortalitate, verùm etiam ipſis creatæ naturæ circumſcripti finibus, pares ad hoc exſoluendum gratæ voluntatis officium vires afferre nequeamus: at ſacrilegum prorſus, maximis beneficijs, quæ ſumus ope Glorioſiſſimæ Deiparæ Virginis conſecuti, obſtinato ſilentio grati animi teſtificationem velle conſepultam. Bis puer loqui non audeo, tacere ingratus non debeo. Tuum eſt, ô Magna Supremi Numinis Parens, quòd viuimus. Tuum, quòd hoſtis non humana perterrefactus potentia, Clari Montis oppugnationem neceſſariò intermiſit. Tuum, quòd Tuis laudibus deuota Polonia, ex imis buſti euoluta cineribus, attollere glorioſum caput triumphis occœpit, & quidquid boni deinceps Noſtra Reſpublica ſperare poteſt, totum id Tuæ propitiationi ferendum erit in acceptis. Semper ac libenter fatemur, à prima Tua Montis Clari tutela, tot & tanta nobis obueniſſe beneficentiæ cōmoda, vt nulla vnquam temporis longinquitate, profunda feræ poſteritatis è memoria poſſint eradicari, nulla penitus obliuione deleri. Atqui parum eſt acceptorum meminiſſe, niſi eis obſtrictus quiſque perpetuum præconiorum erigat monumentum. Sed quantumuis perenniùs ære, auro, & quouis marmore Oratorum Poëtarumque durant elogia; nulla tamen dicendi vis, nulla ingenij fæcunditas, ad Tuorum magnitudinem beneficiorum colendam & prædicandam;

idoneam ſuppeditare poterit facultatem. Nam quòd ab eo Monte, tot claudi tanquam cerui ſalierint, recepto gradiendi munere, tot cæci reſtitutis oculis lumen cœli ſuſpexerint, tot ægri ope medicorum deſperata ſanitatem recuperauerint, tot energumeni Tyrannide inquilini peſſimi Cacodæmonis fuerint liberati, tot ſuffocati aquis, ignibus combuſti, cædibus hoſtium & varijs caſibus interempti, luce præſenti ac vita donati fuerint, hac beneficentia, pluribus alijs locis Tua Imagine celebribus, vſitata, plurimorum calamos, & ingenia vireſque dicendi fatigauit Oratorum, æquè ac Poëtarum; vnum hoc, ob ſeruatam Poloniam, ab immani Hæreticorum feritate, in excidium Religionis Orthodoxæ coniurata, quis tam ſublime Gigas in cœlum attollet trophæū! Laudetur Summus Exercituum Dominus, qui ceruicibus noſtris impendentes ab hoſtium furore acinaces, dextera potentiæ ſuæ retorſit. Laudetur & terribilis vt Caſtrorum acies ordinata Virgo Deipara, quæ ſuperbam Hæreticorum fregit audaciam, depreſſit temeritatem, perrupit inſolentiam. Mille mille triūphi reſonent Glorioſiſſimæ Cœlorum Terræque Imperatrici, ob Poloniam è Tartareis faucibus ereptam, & Hæreſim turbulentorum conſiliorum machinatricem profligatam. Verùm enim verò iam Supremo rerum omnium Monarchæ, & Magnæ Dei Hominis Parenti peractis gratijs, ad Vos Religioſiſſimi Patres

tres ſegregis exempli, Primi Pauli Eremitæ pij Sectatores, & cœleſtis vitæ ſub polaris ſtellæ regimine ſtrenui Duces, fideles Clari Montis Excubitores, & infracti robore ſacræ militiæ Candidati, mea properat Oratio: quam, ne incerta exerret orbita, duobus polis ſiue cardinibus honeſti, fortitudinis videlicet atq; prudentiæ circumagam, ac virtutis vtriuſque decus in graui obſidionis hoſtium tolerantia Veſtris animis promicans, prædicare conabor: quin aures beneuolas & arrectas ſitis daturi, de glorioſa Veſtra dicenti victoria, minimè addubito. Dabitis veniam effœtæ iam ſenis Oratoris eloquentiæ, ſi laudes Veſtras, pro eo ac deberet, Voſque meruiſtis, exæquare facundiâ non poterit, & promptos balbutientis linguæ in Veſtra præconia labores, non virium imbecillitate, ſed obſequioſi officij ſtudio æſtimabitis; ita, vt quod mei conatus excelſi mente, viribus exigui non aſſequentur, Veſtra beneuolentia, & alacri voluntatum erga dicentem propenſione, cenſear aſſecutus.

Si cuius virtutis inſignibus extollendis, ſacri profanique inſudant Oratores, fortitudini profectò tantum tribuunt celebritatis, vt vna omnium, quæ maximè ſalutaria hominum ſocietati ad benè beatèque viuendum poſſunt conducere media, videatur eſſe complexa: tantoperè, vt cæterorum honeſti fontium laudes, iure quodam principatus, ſibi vendicare poſſit. Nec iniuria: nam ſi ad iuſtitiam pertinet ius ſuũ vnicuique

vnicuique tribuere, (quod quidem officium ad tranquillitatem generis humani conſeruandam, quàm ſit accommodatum, nemo non videt) quomodo tribui poterit inter ciues, niſi ad illud defendendum vires animi magnitudo ſuppeditet, & ſtudioſa ciuium pectora, inuicti roboris conſtantia, ad Patriæ iura libertateſque illius propugnandas obarmet? ſi modum à ratione præſcriptum in omnibus actionibus tenere, modeſtia ſiue temperantia perſuadet; quonam pacto & quis tenebit, niſi quem vis animi excelſi, ſupra rerum humanarum faſtigium extulerit? vt neque pœniteat, ex ijs quidquam amiſiſſe, neque in accumulatione deſiderabilium, nimiùm amet proſperos ſecundæ fortunæ ſucceſſus. Lynceis oculis perluſtrauit commendationem fortitudinis Romanæ facundiæ parens Tullius, qui humanæ vitæ recenſens officia, inter ea ſplendidiſſimum pronunciare nullus ambigit, quod animo magno elatoque magnaſque res deſpiciente factum ſit. Celebre hoc Elogium, non minùs ad virtutis ipſius appoſitè dignitatem, quàm ad veritatis Oraculum Apollinis trypode diuiniùs inſcripſit. Enimuerò, ſi fortitudo præſtat magnanimitatem in arduis, fiduciam in aduerſis, ſecuritatem in periculoſis, magnificentiam in dubijs, conſtantiam in proſperis, tolerantiam in grauibus, firmitatem denique in perplexis negotijs, quantam putatis, & quàm excelſarum virtutum trahit in ſua prçconia cateruam, tot

tot filiarum fœcunda Mater? Illa nauum agricolam, ob ſpem ſeri fructus, graui & longo labore ſubigentem arua, vt canat, excitat; illa ſplendorem Dynaſtis inuicti animi magnitudine conciliat, illa robur omni vitæ officio neceſſarium promouet & conſeruat. Illa eſt certum ærumnarum ſolatium, illa calamitoſæ tēpeſtatis anchora, illa ſemen gloriæ perpetuum, vt non immeritò eloquentiſſimus ille Romanorum Philoſophus, locum quendam cœlis omnibus ſuperiorem, vbi Beati æuo ſempiterno fruuntur, attribuerit illis, qui aditum in Patriam, fida pectora opponentes pro eius incolumitate, hoſtibus interclauſerint, nihili præ illius amore res humanas, vitam, & ſanguinem æſtimantes. Hâc permoti virtutis excellentiâ, & non intermoritur æ vnquam gloriæ ſiti ardentes, quæuis terribilia, imperterritâ mente ſunt aggreſſi gens Martia Romani, qui nullum genus mortis, quæ omnium timendorum maximè terribilis eſt, exhorruerunt, cuius fortiter oppetitæ, celebres haberent quauis poſteritate laudatores. Hæc, Curtium, in abditiſſimos voraginis nulla congerie telluris explendæ receſſus, iniecit. Hæc Fabricios pauco potentes, ad Orbis imperium vocauit. Hæc fortiſſimis Scipionibus, ad veterum ornamentorum titulos, poſt ſuperatas maiores Orbis partes, noua cognomenta Affricani & Aſiatici ſuperaddidit. Hæc Mutiorum, Brutorum, Deciorum, Fabiorum, Curiorum, Catonum, conti-nuatis per tot ſæcula præconijs, à vetuſtiſſimo ad noſtram vſque memoriam æuo, nomen & gloriam trāſmiſit. Verumenimuerò, quid iuuat eorum percenſere laudes, qui tantùm à veræ fortitudinis abſunt elogijs, quantùm à participatione Diuinæ gloriæ, quæ ſola ſolido fundamento illuſtrem à Clariſſimis Viris rerum geſtarum excipit immortalitatem, ſunt extorres. Fatuos iſti perituri ſplendoris conſectati ſunt ignes, inanem popularis auræ captantes fumum, & pro magno ducentes prothymiam, ſi eorum facta, tempeſtate ſuccedanea hominum durante memoria, recenſerentur; de quorum tum laude plurimùm quādoque detraxit, aut imbecillitas animi, vitam in periculis faſtidiens, aut deſperati mediorum ad euadenda diſcrimina ſucceſſus, aut ignotus vitæ melioris amor, aut impotens vlciſcendi hoſtem cupiditas, vt ambitos ab ijs ſplendores, non parùm caligo temeritatis, vel etiam ſtultitia oberrante immoderatus impetus obfuſcârit. Illa illa demùm vera eſt fortitudinis gloria, quæ nullis mortalitatis terminis poteſt circumſcribi, nullâ obliterari vetuſtate, nulla dubiæ fidei periclitari memoriâ, quæ beato ac æterno æuo perſeuerat, & deuictis hoſtibus, cœleſtis Patriæ Ciuium, eandem ob cauſam ſempiterna felicitate triūphantium, cultores ſuos in naturæ Diuinæ conſortiū, Summo D E I Opt: Max. beneficio, eleuatos cœtibus interſerit; quæ in præſens pro veritatis Supremæ

Oracu-

Oraculis asserẽdis pugnat, ritus auitæ Religionis tuetur, aras & Templa defendit, veri Numinis honorem zelat, iura & immunitates Antistitum conseruat, nullumque discrimen æstimat, cui non caput, studio Diuinæ laudis amplificandæ animosè obijciat. Quâ in re fidei Diuinæ in Nostra Polonia, Duces, & Authoritate Sedis Apostolicæ vncti Reges, (verbo absit inuidia) præiuerunt Christianis Principibus exemplo, Miecislai, Boleslai, Vladislai, Crispi, Præmislai, Loctici, Iagellones, Casimiri; quorum triumphi Orbi Christiano sunt notiores, quàm infans lingua, eorum præconijs celebrandis sufficiat. Dicerem hic Tuas laudes Audax Boleslae, si constaret te, atrociter occisi Sancti Stanislai Cracouiensis Præsulis, culpam & pœnam diligenter expiasse. Tua verò tacere nequeo præconia Boleslae Chabri, qui cùm Sacra Fide suscepta simul militiæ instituisti acies inuictas Polonorũ, vt ad Sancti Euangelij lectionem, exsertis ensibus se pro ea mori paratos denunciarent: quem fidei propugnandæ zelum, abundè sic remuneratus est Orbis Supremus Monarcha, vt Te quadraginta victorijs triumphantem in terra, æterno accensuerit cœlestium victorum, vt creditur, triumpho. Quid vos Vladislai memorem? quorum nomen ipsum celeberrimarum victoriarum omen est. Quadraginta millia primus ad Psowce hostilis exercitus cecidit, & Scharium trium hastarum, quibus in eo prælio transfixus erat, ornamento decorauit. Secundus quinquaginta signa cùm cepisset, totidem millia militum ad internecionem deleuit. Tertius gloriosè pro defensione fidei ad Varnam occubuit. Quarti recens est victoriarum memoria, quæ multorum Scriptorum ingenia lassauit, typorum notas obtudit, Chalcographorum præla depressit. Fecerunt illi, vt Noster Serenissimus Rex IOANNES CASIMIRVS, inter extentas Prouinciarum ditiones, gloriosior, de tot tantisque hostibus obtentâ victoriâ triumpharet. Sed iam Regum fortitudine commemoratâ, etiam eorum saltem meminisse decet, qui nostra memoriâ aliquid consilij vel opis attulerunt, eodem fidei defendendæ, quo Reges ipsi zelo inflammati, Zamoyscij, Zolkiewscij, Chodkieuicij, Wisniowiecij, Koreccij, Chmielewscij, Koniecpolscij, Kalinowscij, Potoccij, Piasecinij, qui omnes huc suos direxerunt in propugnanda Patria conatus, vt integritatem Religionis Orthodoxæ tuerentur, & vitæ sanguinique pro eius asserendis ritibus & libertate, minimè indulgerent. Sed enim, quia mea in Vestræ fortitudinis commendationem debet Patres Religiosissimi conuerti Oratio, non est quod diutiùs immorer exemplis ijs commemorandis, quibus aliquid præstare potuit humana vis adminiculi, vt potè coniugum, liberorum, fortunarumque ac dignitatum defensio; ad diuinioris proinde paginæ Heroës de sacra dicenti militia sermo flectendus

ctendus est, in quibus quamuis hæc commemorata non defuerunt ad fortitudinem incitamenta, tamen ita Diuinæ gloriæ zelus eluxit, vt reliquarum cogitationum motus omnes absorpsisse videatur. Subit proinde animum Razias ille, quem honoris causa Patrem Iudæi appellabant, grandæuus senex, & patriarum legum atque consuetudinum satis superque tenax, qui ab impio Nicanore ad incitas redactus, gladium in pectus adegit primùm, deinde altiore diuini spiritus impulsu prouectus, ilia muro desiliens super hostium agmen fudit, certum indignationis super Sacrorum contaminatione posteritati daturus argumentum. Quid verò aliud Vos Patres fortissimi vrsit, vt loco staretis immoti, certò non admissuri Hæreticorum præsidium, nisi grauis metus sacrilegæ diuinarum rerum profanationis? Effudistis toties viscera, pro Templo & aris, quoties indignanti moram hosti, responsum nullis perterrefacti minis, aut impendentibus periculis dedistis, Iudæi Machabæi fratres ad pugnam adhortantis exemplum & vocem secuti. *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & Sanctorum, sicut autem voluntas fuerit in cælo, sic fiat.*

Rediuiuum nobis exemplum in Vestræ pietatis zelo feruenti, Zorobabelis, Esdræ, ac Nehemiæ, aliorumque Principum illis coæuorum illuxit, qui inter impios hostium aduersantium gloriæ Dei, ac Templo Domini

Domini Ierosolymis reædificando conatus, non desponderunt animos, sed alacriùs inchoato instíterunt operi, vna manu trullas, alterâ gladios ad violentiam reprimendam tenentes. *Noua bella in Monte Claro elegit Dominus*, liceat mihi Deboræ triumphatricis pæana vsurpare, quando vnus Chorus ascetarum precibus ritu publico exsoluendis inuigilat, alter tormēta librat, copias peditum per muros disponit, sphæris ferreis machinas infarcit, animos militum acuit, ordinat excursus, admolientis hostis oppugnatorias loricas globis perrumpit, cohortes hostium perturbat, fulminantes tubos in præcipua exercitus capita dirigit, rudera, terram, lapides, fissis murorum voraginibus oggerit, & nauiter omnibus Martis officijs idoneis ad defensionem Templi Domini, Matrisque illius Purissimæ cultus propugnationem incumbit. Sed hem noua belligerandi ratio! quis vnquam simili vsus Imperator? quis vidit exercitus? quis audiuit aut scripsit Historicus! Reboant fulminantes machinæ, cœlestes imitatæ fragores horrenda tonitrua, quid Vos? suaui plectro, dulci barbito, iucundo Symphoniacarum tubarum, tibiarumque cantu in odeo turris altissimæ, ordinatis Sacrorum Hymnorum concentibus, eorum potissimùm, qui laudes Virginis Matris Gloriosæ continent, rigidum Martis furorem temperatis. Diceret aliquis non immeritò, ad fortitudinis prodigium attonitus, adolescentes in flammis

mis Babylonicæ fornacis tripudiare, quod nonnemo admirans ex hostibus dixit, Æsopicarum cochlearum domibus incensis cantantium, lingua petulanti cauillando leuitatem; non expertus integræ mentis cõuiuium, & veræ in Dei auxilio fiduciæ imperterritam securitatem. Magna hæc est, quàm humana dicendi vbertas prædicare consueuit fortitudo: at Vestra eò gloriosior, quò maiore animi contentione, ad summum cum ea Diuinæ caritatis fastigium, nec irrito conatu ascendistis. Quid enim? Supremæ Veritatis Oraculum est: *Maiorem caritatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: si summus hic amoris gradus est, pro totius amoris & boni fonte occumbere? quæ iam vis eloquentiæ mortalium, Vestram tot tantisque periculis, & toties tentatam Diuinæ caritatis constantiam celebrabit? quoties hosti deditionem flagitanti, Vestram promptitudinem moriendi pro Dei gloria obtulistis, tot Martirij Laureas inuicti athletæ Christi emeruistis. Viuite viuite, sempiterna in cœlesti Capitolio Corona beandi. Tu verò Nehemia Senex, veteris Synagogæ Protector, laudandus mihi recurris huc, iure meritò, quando excelsi tui animi robur, in mente sublimi AVGVSTINI KORDECKI, Claromontani Prioris, ad amussim Diuini spiritus operâ, video ac veneror expressum. Quantùm Tua hæc vox valuit ad exterrendos & confundendos veri Dei cultus hostes infensissimos. *Deus Cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus*: tantùm in ore Prioris Claromontani vtiliter ad confirmandos Fratrum Nobilitatisque animos potuit. *Deus ipse iuuabit nos, & Magna eius Parens, modicum quid ærumnarum pro eius gloria sustinete.* O summam excelsi animi potentiam! ô inuictum constantiæ robur! ô admirandam cœlestis auxilij spem! ô inexpugnabilem in arduis periculis magnanimitatem. Viluisse visa fuit nonnullis apud ignauam & degenerem posteritatem, Maiorum parta victorijs libertas, nisi recens effuso sanguine à Clarissimis quibusque viris fuisset redempta, quis Dux & author redemptæ? Patres Claromontani. Ædes Sacræ, thesauris & omnium splendorum apparatibus expilatæ ac exutæ, extremos expectabant cineres, quis obstitit? Patres Claromontani. Exilium, Religio Catholica, & proscriptionem è Regno, quod olim ipsa constituerat, timebat, quis prohibuit? Patres Claromontani. Patriam ipsam, si loqui posset, non alijs vsuram verbis ad referendas Vobis grates quàm his crediderim. Maximas Vobis & perennes vnà cum filijs, & Ciuibus seruatis, ago gratias Religiosi Fratres Primi Pauli Eremitæ, illustres Clari Montis Incolæ, Magnæ Dei Matris fidi Clientes, meæ salutis apud Deum singulares Patroni, quòd furori hostium in Religionis Sacræ ac mei excidium ruenti, tantâ fide atque constantiâ restitistis, vt facile intelligat Orbis Christia-

Christianus, à paucis diuinitùs affulgente auxilio, innumerabilem multitudinem Copiarum posse deuinci. Vos Filios meos ad Patrum vestigijs hærendum fortissimo exemplo impulistis, & vt arma in hostem per viscera mea grassantem generosè sumerent, strenuè præiuistis. Vos repentina Hæreticorum potentiâ, prostratos afflictæ Nobilitatis erexistis animos, & erectos assiduis apud Supremum Numen votis & supplicationibus piè confirmastis. Ibit ibit in seram posteritatem Vestri facinoris heroici gloriosa memoria, neque mea in remunerando tanto sumptu, ac rebus tàm præclarè gestis, grata vnquam desiderabitur voluntas. Nulla Vestram hanc fidelis obsequij ac impendiosi promptitudinem consepeliet obliuio, nulla temporis longinquitas, aut inuidiæ liuentis caligo, longè latèque Montis Clari iubar promicans obscurabit. Perennabit Vestræ victoriæ decus, & quacunque parte Orbis audietur, seruatæ à Regina Cœli Poloniæ nomen, semper Principatum meæ salutaris lætitiæ illustre Clari Montis fastigium obtinebit. Hic mea in posterum in procellosis bellorum fluctibus iacietur anchora, hic vernabit in ardua calamitate spes, hic donaria beneficentiam Summi Numinis & Virginis Matris, omni æuo secuturæ posteritati prædicabunt. Mœnia ipsa tam citò post abitum hostiũ refecta, inusitatâ gestire videntur lætitiâ, dum suæ tempestatis oblita, nouam induerunt faciem, quâ quosuis

quosuis deinceps aduentantis hostis ridere possunt conatus & molimina. En sumus (aiunt) quis Hector, quis Achilles, quis Scipio Numantinus, quis Cartaginis euersor, quis Pelopidas Annibal, aut Epaminondas, nos arietet? Stamus ad ictus machinarum fulminatricum imperterrita. Sed enim dum longiùs in vastissimum Oceanum Vestræ fortitudinis prouehor, subit animum vis Bizantinæ oliuæ, inter incendia nullum passæ detrimentum, quinimò aduersitate fœcundioris: sic Vestræ vires ab hostibus tot machinamentis meliùs diuturnâ patientiâ exercitatæ & exagitatæ, viruerunt. Vnde enim illa maximis in periculis in turris fastigio Musica, quam in luctu esse importunam Sacra prodiderunt Oracula: Inde faces ardentes micant, hinc suauis Echo resonat; inde tonitrua remugiunt, hinc concentu blando mulcentur aures; inde glandes ferreæ volant, hinc dulcis animo forti, serena ridet tranquillitas. O inuictam generosi animi fortitudinem, pericula contemnere, ridere, ludibrijs excipere, quando non ludicra petuntur præmia, sed sanguis & vita in censum venit ditissimum, & terror fulmineus hosti confirmato, spem victoriæ, & maiorem ad oppugnãdum Cœnobium audaciam subministrat.

Ad prudentiam deinde Vestram, quæ humanæ capacitatis excedit modum, accedo, nihil præclarum aut dignum laude geri posse sine illius directrice facultate,

cultate, in confeſſo eſt apud omnes, qui beatè viuendi normam penitùs introſpexerunt. Ea nimirùm eſt conſiliorum moderatrix, virtutum auriga, magiſtra vitæ honeſtiſſimæ, rerum gerendarum dux, perſpiciẽdarum trutina: quâ ſtant vrbes, firmantur leges, æquum decernunt Iudices, ſceptra tenent Reges; illa oculus futuri, præſentis negotij manus, antecedentiũ temporum cum ſequentibus prouida temperatrix. Hanc qui deſiderauerit in viri fortis facinoribus, non rectè functurum officio ſanè iudicabit; imò temeritatem dixerit, aut inſanæ audaciæ proteruiam, qui abſque illius directione vela ventis, & animum rebus agendis accommodauerit. Multa ea ſuadente atque dirigente, Vobis erant conſideranda Patres Admodum Reuerendi, circa fortitudinis laudem in medio ſtatuendam. Quis enim eſt tam iudicio tardus, aut ingenio hebes, qui penſatâ humanarum rerum imbecillitate, non Vos primo cœptorum intuitu, temerarios in re præcipiti, & iam pœniſſimè deſperata æſtimaret Triarios. Ita quippe ratiocinari poterat, vt fecerunt iam pleríque de Veſtra conſtantis animi magnitudine metuentes. Quid tandem iſti Patres agunt tanta potentiſſimorum hoſtium circumfuſi nube? Notior eſt Orbi Suecorum potentia, quàm ipſi domi habeant vires exploratas. Annis triginta incubuerunt Imperio Romano bello graues. Florentiſſimum exercitus Poloni robur Quartianorum legiones

legiones illis ſe adiunxerunt, & quæ tulerunt olim de diuerſis nationib⁹ trophæa, ipſorũ faſcibus & poteſtati ſubmiſerunt. Nobilitas penè omnis iuſtam bellandi cauſam pace iniquâ redemit, quid ampliùs rebus afflictis Patriæ afferre poſſunt ſolatij artis militaris expertes, numero pauci, quieti, & vitæ pacatiori aſſueti, armis non ſatis inſtructi? Scilicet perſpicaciore mentis oculo pericula prouidebunt, & illis amouendis à Republica media ſuppeditabunt, quæ totus non perſpexit Senatus, aut non valuit opportunis remedijs amoliri. Anticyra tota vix eleboro purget tantam veſaniam, in ſcirpo nodum quærere, vel Gordium diſſoluere, velle ſapere poſt omnes, quorum intererat maximè omnium Ordinum dignitati, commodis, Coniugibus, liberis ac fortunis proſpicere. Feciſtis tamen, & Veſtra Religioſa ſolitariæ vitæ deuota capita, periculis grauiſſimis & extremis oppoſuiſtis, quâ mente, quâ fide, quâ conſtantia? Diuina prorſus. Enim verò, non ita rerum ſumma in extremo diſcrimine humanis conſilijs, & remedijs committenda eſt, vt in rebus maximè arduis Diuini obliuiſcamur auxilij, & tantùm noſtris confidamus viribus, vt his deficientibus nihil omninò videamur Diuinæ attribuere protectioni. Habuiſtis noſtra memoria præſentiſſimum cœleſtis auxilij monimẽtum Otthomanico bello ad Chocimum, quo antiqua brachij & potentiæ ſuæ miracula ſuſcitauit Deus, ne funditùs interiret

teriret Polonia. Recensuistis tot fidelis populi admiranda subsidia, neque vbi humana desunt consilia, aut vires ad hosti resistendum, parcam in ijs adferendis Numinis Excelsi dexteram reputâstis. Sed enim dixerit aliquis gloriæ Vestræ inuidus Zoilus. Hoc fuit tentare Deum, & aut potentiam ipsius, aut voluntatem experimento subijcere. Quid? an DEO coniunctis, & toties Gloriosissimæ Dei Genitricis ope seruatis, non licuit plùs ad Diuinum attendere suffragium, quâm humanas pensare vires? præsertim, vbi animus congregationis concors non abfuit, honorem Loci Sacri sanguine obsignandi, quod erat eximium Diuinæ voluntatis, in cuius manu corda & cogitationes humanæ rotantur, argumentum. Vbertim id Oraculis paginæ sacræ potest comprobari; nam cùm incertæ sint cogitationes mortalium, & timidæ prouidentiæ Nostræ, vt effatum canit Sapientis; quonam modo eo fundamento actiones humanæ innitentur, vt non ruant, semper vtique ambiguæ, perplexæ, & incertæ. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus! cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis

quis inuestigabit? *Sap: 9.* Est autem vis quædam diuinæ motionis superior mentem illustrans, & ad res agendas eam forti & ineluctabili molimine confirmans, quà quis aggreditur terribilia ausu constanti, non sine tamen periculi consideratione, & ad medendum ei mediorum adhibitione prompta, vt ei sociata fortitudo sit considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio, vel affectio animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore, quemadmodum Philosophus & Orator Latinus definit iũctam prudentiæ fortitudinem. Quonam igitur pacto vel pericula considerabimus, si maiora occurrant, quàm ea solùm naturæ lumen possit consequi? vel inutili molestia perpetiemur labores, quorum nulla perspiciamus prœmia! vel summæ legi parebimus, quam altiore mentis indagine non fuerimus perscrutati! vel sine timore agemus, nisi altiore lumine quid timendum hic occurrat, inuestigemus! neque enim ad altiùs discrimen exploranti lumen, apparent tanta, quæ tantoperè timenda humanà ratio sibi relicta, potest apprehendere. Exemplo rem illustrabit virago gentis Hebrææ fortissima Iudith, quæ vt definitũ à Principibus Sacerdotum tempus deditionis vrbis inaudiuit, sic eos proditur sacris literis allocuta. *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Constituerat nimirum Ozias Sacerdo-

cerdotum populique Princeps, tradere Bethuliam intra dies quinque. Fatigatus Senex importuna voce obstrepentium, quid aliud multitudini sibi exprobrandi temeritatem poterat respondere, quàm dies expectandos quinque? non quod ita sentiret ipse, sed quoniam inconditis plebis clamoribus vrgeretur. *Iudicet*, aiebant, *Deus inter nos, & Te, quoniam fecisti inter nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyrijs, propter hoc vendidit nos Deus in manibus. Meliùs est vt captiui benedicamus Deum viuentes, quàm moriamur, & simus opprobrium omni carni.* Quid ille igitur? *Æquo animo estote Fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam, forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo, si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti estis.* Quantò altiùs assurrexit Tua prudentiæ solertia Claromontanæ Prior, qui sapientissimè firmam spem Diuinæ opis humanis ad repugnandum medijs coniunxisti, vt nec certum expectationi auxilij cœlestis præstitueris diem, quod Deum tentare fuisset iudicio Iudithæ, nec suscepta humanæ defensionis consilia, ob spem adiutorij superni neglexeris. Hic verò Tuo adamantinam constantiam induere animo fuit necesse, quando eam tot machinamentis, non Nobiles duntaxat, qui longæ obsidionis pericula fastidiebant; coniugum, liberorumque calamitatibus indulgentes; sed Fratres etiam

pleriq;

plerique vt olim Bethuliani, pacatam (vt hosti credebant) deditionem flagitantes, oppugnabant. Quoties ô quoties tecum ipse certasti, ne aliquorum indignationi, aliquorum cauillis, aliquorum exprobrationi, aliquorum timiditati, aliquorum duriori etiam importunitati solicitatorum, quos frequentiùs hostis subornauerat, succumberes. An non sola hæc ad conquassandum firmiorem ipso adamante mentis stabilitatem poterat esse satis ad Tribunal Supremi Vindicis iniuriarum prouocatio? Videat Prior, & ei adhærentes Consiliarij, quid agant deditionem morantes, sanguis noster de manibus eorum requiretur. Atque vt ne hàc quidem grauissima persuasione arietatus, Teipso Superior euasisti, iam Tui triumphator, nihil succensens obtrectationi, securiore fiduciá hostem aggressus es. Diuina igitur Te rerum fugiendarum expetendarumué scientia munierat ad tantos impetus retundendos, vt nihil omninò possit inueniri liuentis inuidiæ hirquus, quòd Theonino dente de laude fortitudinis prudentis, & prudentiæ fortis decerpat. Volucre in lacus Stygios maligne liuor, Superior est AVGVSTINVS KORDECKI, quàm vt ipsius excelsi animi fastigium depressurus attingas. At enim, vt magis perspicuè constet omni rem examinanti, nullam temeritatis notam hic suboriri potuisse: videamus, quæ media humana, ad spem animi nihil fluctuantis, occurrebant. Rupis solidæ,

in qua

in qua extructum eſt Monaſterium, firmitas obſtinata, quæ ad eruenda mœnia acceſſum per cuniculos, hoſtium conatibus negaret, vitæ neceſſariorum abundantia, tormentorum bellicorum, & pyrij pulueris ac globorum copia, de aduentu auxiliarium Copiarum crebra nuntia, & Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI pia & diligens circa defenſionem Loci Sacri, quam frequentiores amicorum literæ obſeſſis perferebant, ſolicitudo. Hic verò aperitur mihi campus in Tuas excurrendi laudes Reuerendiſſime Pater Prouincialis, per Poloniam & Sileſiam Theophile Bronowſki, qui firmatis Patrum ad ſtrenuam propugnaculi defenſionem animis, opera & conſilio nuſquam defuiſti. Quid memorem longiorum itinerum moleſtias, quæ frequentiora adeundo Principes in Republica viros confeciſti, vt cum ijs Tua communicares conſilia, Monti Claro ſalutaria futura. Adijſti S. R. Maieſtatem Dominum Noſtrum Clementiſſimum, vt expoſito Monaſterij calamitoſo ſtatu, Copias auxiliatrices Fratribus ſubmitteret, quod obtinuiſti, fortiſſimis ea tempeſtate viris, ad eam Prouinciam deſignatis. Rem vt verbo complectar; ſicut aquila perſpicax in altum libratis per aëra pennis pullis proſpicit, ne aut ab hoſte in ſuo nido infeſtentur, aut ne quid deſit illis victui neceſſarium; ita Tu pius ac diligens Ordinis Tui Pater, ne quid horum filijs deeſſet, accuratâ ſolicitudine laboráſti. Verſabatur

batur Tibi ob oculos imbellis cœtus, nullis militaribus experimentis exercitata virtus, tanquam innocentum agnorum in rabidi leonis fauces ruitura. Verſabatur pacata quies, cui ſe deuouerunt Religioſi, militum ferociâ perturbatâ. Verſabatur infirmorum & ſenum morbo ac ætate contracta timiditas, ne fortioribus generoſa defenſionis labefactaret conſilia. Verſabatur, quod & maxima cura pectus Tuum ſolicitum vſſit, Loci Sacri deuaſtatio, ſupellectilis Deo eiuſque cultui dicatæ conflatio, Diuinæ laudis ceſſatio, Templi altariumque ab hæreſi ferociente profanatio, & atrox Sacerdotum cædes; quæ omnia non minùs diligenti operæ, quàm generoſa fortitudine, & ſumma prudentia amoliri ſtuduiſti. Magnas Tibi Tuus Ordo agit gratias, quòd in eius incolumitate conſeruanda, tot labores exantlaueris, niſi enim Te Athlante in Monte Claro effultus ſtetiſſet, magnam ruinam in viris pietate doctrinaque conſpicuis, quorum hic flos eſt ac portio illuſtrior, accepiſſet.

At enim, quia omnes huc pro modo Veſtro conſilium, operam, vires contuliſtis Patres Religioſiſſimi, vt Montem Clarum Sacrum ſeruaretis, robur Veſtro exemplo militarium virorum accenderetis, & propugnaculi Veſtri celebritatem, ad remotiſſimas quaſque regiones tranſmitteretis, Veſtra fide, conſtantia, fortitudine, atque prudentia; æquum eſt, vt omnium aures Martio adhuc ſtrepitu reſonantes, iucun-

iucundissima vox gratulationis demulceat. Non ego solus, quis enim ego, vt id nomine multorum audeam? sed omnes quicunque pietatis ergo in Matrem Misericordiæ huc ventitare solent, eam Vobis superatæ hostium pertinaciæ felicitatem gratulantur. Non in Orbe duntaxat Christiano, verùm in omni plaga mundi audietur. Vnum in Polonia Monasterium Clari Montis, Patrum Eremitarum Sancti Pauli Primi Eremitæ, duodecim millibus exercitus cinctum, bimestri hostium assultu expugnari minimè potuisse. Desiderabit Orbis vniuersus, nosse nouæ militiæ viros, qui labores Herculeos æmulati, excelsi animi magnitudine Sueticam potentiam contempserunt, fregerunt, proculcarunt. Non fabulosi Iouis Statoris auspicio, vti olim Sabinorum Romani, furorem hostis in Regnum sine causa grassantis, hic ad Montem stitistis Patres Religiosi, sed Reginæ Poloniarum Gloriosissimæ Dei Parentis beneficio ac tutella, optatum precum Vestrarum exitum estis consecuti feliciùs, quia non Ioui, quem vana superstitio commenta est, sed Æterno ac Supremo Numini pro incolumitate Patriæ supplicastis. Mons Clarus iam Stator est Polonorum, qui repentina commoti Regis Suecorum irruptione, perturbatis aciebus non nihil titubare cæperunt, hinc singulari Deiparæ Virginis protectione in Ordines suos reducti, acriùs in hostem inuecti, iam stant pro Patria

tria imperterriti, nulla vnquam statione quouis periculo submouendi. Hinc Summus rerum Moderator, pugnam instaurare iussit ad confusionem hostium, vberemque victoriam largiri cœpit. Stator idem est Mons Suecorum potentiæ, cuius ad hanc petram, quæ refugium est Polonis, vires nunquam resumendas attriuit. Et mea hic iam, nam nusquam tutiore stabit Clari Montis crepidine Oratio, si prius Vos non adhortationis ergo, sed beneuolentiæ argumento alloquar. Statuistis pedes Vestros in loco spatioso Montis Clari, sic vt non commoueamini vnquam Religiosissimi Patres, sic state in Domino, vt ante Thronum Agni legionibus albi exercitus connumerati stetis æternùm. Stetistis Sueco, fide, constantia, fortitudine immobiles, quia priùs Vestri quàm hostium triumphatores. Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Nec aliter stetissetis, nisi earum rerum, quæ populi opinio sperare aut timere solet, strenui contemptores nutare in alterutram partem animo destitissetis. Vna Vobis mens, vna voluntas, vnum propositum pro Dei gloria mori, quis illud metuat? quis non exoptet? optare autem ij possunt, qui contumaces stant oppugnationi Diaboli, sub illius Montis protectione, cuius fundamenta in montibus sanctis eminent Gloriosissimæ Dei Parentis solo Deo minoris. State igitur animo excelsi, periculis imperterriti hosti terribiles, viribus

 infracti,

infracti, victorijs gloriosi, palmis immortales. Vicistis hostis arrogantis superbam insolentiam, cauete ne ipsa mole victoriæ oppressi, armato fortiori, curioso non minùs quàm inuido gloriosè gestorum exploratori, succumbatis. State incolumes, viuite florentes, triumphate beati æterna beatitate, felicissimi perennate.

D I X I.

Augu-

Augustissimæ Cœlorum Terræq; Imperatrici

VIRGINI DEIPARÆ,

Polonorum Sospitatrici,

ob vitam seruatam.

ODE TRICOLOS TETRAST.

In Claro resonant MARIÆ Monte triumphi.

QVicunque laudes addere laudibus
Gestitis, almæ & plaudere Virgini,
Spectate mirantes trophæa
Parthenio benè fixa monte.

Quæ fixit, alta victor in ilice
Anchisiades, de Danais Ioui,
Æuo satiscent longiore
Temporibus reticenda seris.

Et quæ Briareus centimanus, polo
Jactauit audax culmina montium,
Regno potiturus Tonantis
Jnuida dente premet vetustas.

Et quæ, superbâ mole cacumina
Erexit astris Memphis, & Rhodium
A Sole clarentem colossum,
Nubila nox styge merget atra.

Ast

Aſt Tu perennis ſta melioribus
Mons Clare ſignis, quo ſibi gloriam
Locauit æterni decoris
Alma Dei Genitrix MARIA.

Non inuidendo robore Caucaſus
Non alta moles Acroceraunijs
Prærupta ſaxis, tardioris
Jnuideat Tibi robur æui.

Orebe ſummo vertice nobilis
Flammas, virenti non nocuas rubo
Submitte Czeſtochouienſi, &
Da melius rutilare, Monti.

Vides vt igni cinctus ab arduo
Ridet ſuperbas Hæreticæ minas
Phalangis, & rami recentis
Viuida dona refert ab igni.

Et Thabor alto ſidere clarior,
Quem Glorioſus luce ſua beat
CHRISTVS, coruſcum triumphanti
Adde iubar, ſocio fidelis.

Natus Supremi Numinis induit
Te luce Solis, luce ſerenior
Veſtita, Solari puella
Fac rutilo micet vt tropheo.

Et tu Sinai, cedo tonitrua,
Quæ fulguranti lampade fulminas,
Autore legis detonante,
Quos metuat populus fragores.

Vides vt iſthoc Monte tonitrua
Eliſa Suecis incutiant metum,
Dum tela mirantur ſuorum
Exitium cuneis datura.

Fies Sacrorum, tu quoque montium
Mons Clare conſors, quem Deus Optimus
Dignatus eſt tanto decore
Virgineâ prece tutiorem.

Ergo virentes nectito Laureas,
Palmasq; lætis figito poſtibus
Quas nulla decerpat Megera
Palmigeri pia turba Patris.

Feralis alto mugiat æthere,
Quæ robur hoſtis machina terruit,
Victorioſum munus edant
Tympana, ſiſtra, lyræ, cinyræ.

O lux, Beati Sanguine Martyris
Perfuſa, felix, lux Stephani nece,
Quæ glorioſior Tonantis
Hoc decus occinuit, parenti!

Sed lux, amoris dote beatior
Quando Ioannis pectora combibunt,
Arcana cœlestis Magistri,
Delicijs placidi supernis.

Hîc, Matris Almæ Numinis assecla
Et concionis Virgineæ decus
A Monte Claro detriumphat,
Hæreseos mala fluctuosæ.

Custos sacrati peruigil agminis,
Intendit acri militiæ minas
Gustauianæ, Dux Polonæ
Omine prosperior cohorti.

I dira cælis Hæresis, i procul
Deuota stagnis Tænarijs, pia
Quam sede deturbat Ioannes,
Fulmineo metuendus ore.

Dilectus ergo discipulus die
Sibi dicatâ, submouet agmina
A Monte Sancto stant serenis
Agmina Cœlicolûm triumphis.

Vidit IOANNES pegmate Cœlitum
Regis IOANNIS pectore condita
Arcana vota gestientis
Virgineo dare dona Monti.

O Nate

O Nate IESV sit tibi gloria,
Qui fausta noctis gaudia gaudijs
Auges decoris. O IOANNIS
Lux memoranda perennitate.

Lux digna gemmis, lux pretiosior
Auro, coronis, digna pyropijs,
Et laureatis digna sertis
Digna coli xenijs perennè.

Et linteati dicite Mstouij
Patres triumphos, Virginis inclytæ,
Vicina quos securiore
Præsidio tenuit latentes.

O quot micantes strinxit acinaces
Furor peratrox in trepidantium
Nouis periculis Clientum
Pectora! quis numeret? quis eheu!

O quot soporis lumina nescia
Hostile cellis compulit egredi
Nefas! & horas tædiosas
Per vigiles numerare gallos.

Quâ laude Nomen dulce Tuum colam?
Quæ lingua cantus obstrepet arida?
Quæ iam labantes excitasti
Spe meliore Tuos Polonos.

 O Virgo

O Virgo Summi Filia Patris, &
Mater Superni Maxima Filij,
Et Sponsa Pneumatis beati
Hæreticis domitis triumpha.

Salue Poloni gloria Climatis
Regina Salue, delicium, decus,
Munimen, Iris, Spes, Voluptas,
Anchora, Præsidium, Columna.

Vides! IOANNES REX CASIMIRVS vt
Te supplicanti poplite cernuus
Adorat, implorans benignæ
Matris opem, Lechiæ ruinis.

Jllachrymanti porrige dexteram
Plebi, fauentem cladibus obrutæ,
Sat busta fumârunt Clientûm
Vsque Tuæ miserere gentis.

Nocturnus ignes Iuppiter æthere,
Dum pascet alto, vortice Vandalus
Dum curret, illustres MARIÆ
Sarmatis ora canet triumphos.

Ob Seruatam vitam seruorum minimus pangebat
Stephanus Damalewicz.

Admodum Reuerendo Domino,

D. AVGVSTINO KORDECKI PRIORI, ET

Vigilantissimo fortissimi ac inuictissimi Cœnobij Claromontani propugnaculi

COMMENDATORI.

Thomas Angelinus Siemsycki, Philosophiæ ac Medicinæ Doctor, diuinitus partam victoriam gratulatur.

CLari Magne Prior, Dei fauore
Montis, lumine clariore per quem
Occœpit radiare, dum superbus
Suecus bella parat sacratiori
Ædi, sæuitiâ tumens feroci.
CORDECI Decus Eruditiorum
Et purum iubar ætheris corrusci
Palmâ Virginea, & sacro triumpho;
Te Dei pia gloriæ Cupido
Alis subleuat aureis in Astra.

Vicisti meditatione cautâ,
Et iusta salebras truces minarum
Ingentem reboantium timorem,
Cum spe præcipiti Bonum vorabant,
Quod pax Sarmatiæ fouebat alma,
Gentes barbarie feræ marina
Crudeli populando vastitate
Aras, Templa Dei, focos, penates.
Has Tu spe tumidas leui phalanges,
Magno robore, fluctuantis expers
Rides consilij, premis, triumphas.

Felix Serue Dei, & Tuæ potentis
Diuæ, laude fer hanc benignitatem
Summi, dantis opem Lecho, Tonantis.
Hem miracula iam labante mundo
Quantùm per gelidos tonant Triones!
Suecos mancipium tenent MARIÆ
Serui; mira cano, stupete gentes,
Et tu Phœbe parens serenitatis
Lustra gaudia læta Sarmatarum
Et per climata defer Orbis ampli.

Cui non abdita cordis & medullas,
Miranti decus hoc nouum perurat?
Quando Cristi Parens Poloniarum
Dextrâ continuit potente sceptrum

Regis

Regis CASIMIRI? tenetq; clauum
Vestris Lucicolæ in Sacrariolis.
Semper prompta quidem tulit MARIA
Certam belligeris opem Polonis,
At nunc explicat ampliora signa,
Ad caræ Lechiæ viros tuendum
Quis non occinat! Iô plaude, gaude,
Gaude grandibus auctior triumphis,
Gaude Magna Dei Parens MARIA.

Tu Regina Poli, & Poloniarum,
Constanti solidas fide clientes,
Optatæ reparans quietis arrham
Mœrenti populo, sereniore
Dum lustras oculo graues gementis
Sub Sueco Lechiæ tuæ querelas:
Et firmas animos ad eruendum
Hostem finibus, & focis paternis,
Sub signis studij quietioris,
Paulus quos tenet arctiore nexu,
Et quos submouet à Gradiuo Eremus.

Felix concio, quæ latens Eremo
Martis Monte Sacro trophæa figit,
Te candore suo induit nitentem
Pallens Relligio: palæstra facta
Vnde es Martigenûm, acriter retundens

Audaces hominum nefariorum
Vires, tela, globos, faces, sarissas?
Huc γιγαντομάχης *Duces adeste,*
Montem cernite Częstochouiensem,
Vestros despicit vt superstes ausus!
Turpis consilij nefas videte.
Tabo corpora quam iacent fluente
Campis vndique sparsa luctuosis!
Atrox Hæresis aspicisné Mons hic
Quam ferale Tibi stetit sepulchrum!
Specta quid queat Ordo Eremitarum
Et grates age Numini Viator.

Admodum Reuerendo Patri,

P. AVGVSTINO KORDECKI,
Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, in Monte Claro Częstochouiensi
DIGNISSIMO PRIORI.

Defensum contra impugnationem Suecorum Clarum Montem Historicè describenti,
accinit

I. B. Soc: IESV Am. C.

COllata signis signa ferocibus,
Succiq; fractas sidere prospero
Iras & insanum furorem
Virgineo domitum fauore,
Fastis recenses; fortis & impiger,
Gothum potenti frangere dexterâ;
Et hostis AVGVSTINE fracti,
Ambiguas reserare fraudes.
Legéris Orbi quâ latijs patet
Campus Camœnis, quâque tenax Fides
Laudis MARIANÆ triumphos,
Supplicibus veneratur aris.
Quin & dolosis Hæresis artibus
Insueta discet, (torua licet feros
Visus retorquens) quanta crescant
Virgineæ monumenta Dextræ.

Hem! quantus armis! quantus & arduis
Martis periclis, Dux Gothus aduolat,
Sæuoque coniurante Marte
Signa ruunt, galeæq; strident.
Quâcunque Monti pronior incubat
Vallis decoro; (quæ Cereris ferax
DIVAM coronabat) furentis
Hacce seges fluitat Gradiui.
Ferrumq; spargit. Iam Peditum graues
Flagrant Cateruæ, iam micat igneis
Sclopis refulgens multa circum
Calcat eques fugitiuus arua.
Millerus acri consilio mouet,
Fraudemque, Roburque, & rigidæ indolem
Crudam Mineruæ: quotquot atro
Clausæ habitant Phlegethonte Diræ.
Producit omnes. Terra prius graui
Effossa sulco, restitit impio
Fortis ligoni, atque obstinata
In Terebram, reserare rupem.
Ceu marmor arcet Marmore durior
Millerus instat; sæuaq; fulmina
Minatur Aris, cùm frequenter
Vimineis reuoluta claustris
Tormenta surgunt, plenaq; nitreo
Bacchantur igni! grando vbi ferream
Illidit ad murum procellam
Cum tonitru crepitantis æthræ
Spectabat Astris, nube super leui
Prouecta, denso quam nitidum tegit
Decore lumen, quam micantes
Sideribus tetigere flammæ.

REGINA

REGINA Cœli, proque DOMO suâ
MENSAQVE multùm solicitam mouet
Cordis querelam. Me profanum
Sic patiar temerare ferrum
Furentis Hostis? Templa meis diu
Sacrata vecors franget Honoribus
Quæ VIRGO Supremiq; MATER
Numinis, ipsa meis guberno,
Frenoq; iussis? nec mihi Dextera
Ignaua bello, non animi impotens
Robur, timemus! præsto nobis
Sunt acies, beneq; ordinatæ
Candor Phalangis: Paule tuos mihi
Scribo Sodales. Signa Tuus volo
Designet, AVGVSTINVS; armis
Ipsa animos sociumq; iungam
Amore Robur. Sit pietas, decus
Matris tueri nemo libens mori
Detrectet, Aram si salutis
Ingenuo reparare gestit
Cruore, factus victima. Tam benè
Quod Astra Sanctis cor precibus ferit,
Et castra defendet MARIÆ.
Est pretium, geminæq; laudis
Corona maior. Dixit; & aureo
Vultu renidens, quâ patet orbita
Locusq; Murorum, feroci
Nube premit, niueæq; pandens
Sinus refusos Cycladis; extimas
Turresque, & altæ tecta tegens Domus,
Templumque, consurgensque Sacro
Munere, detenebrans Asylum.

 Subli-

Sublimiori luminis esseao
Immota sedit: ter Clypeum extulit
Hosti minacem, ter tremendo
Palluit ipse Suecus pauore.
Sensitq; Diuæ prælia non pari
Tentata voto. Iamq; ait Hosticus
Insurgat agger. peruicacem
Sola premam reprimamq; Virgo.
Sexcenta quamuis fulmineis volent
Infarta tædis pila nocentibus,
Igniq; succedens corusco
Stuppa agiles resupinet hamos.
Non hæc prehendent tecta, quibus meam
Dextram locaui. Cladibus at tuis
Millere disces; quæ dolosis
Artibus ingenioq; præceps.
Se pœna iungat. Iamq; ferox Suecus
Formidolosis feruidus ignibus,
Lectasq; castrorum cohortes
Impauido moderatus astu.
Lustrabat. Arci quâ propior patens
Est campus, armis conspicuus suis
Pompam Timoris duxit. Hæret
Wrzesczeuici populosus armis
Ferroq; miles iungitur (ah! nefas!)
Regis relictâ Sarmatici fide,
Suecisq; coniunctus Polonus
Post Patriam, immeritumq; Regem,
Et in PARENTEM bella ferocibus
Ausurus armis (nempe parùm nocens
Crimen videtur, ni Supremum
Flagitij teneat cacumen.)

Mille-

Millerianæ fortiùs emicat
Robur Phalangis, quam Lapithæ truces
Sæuiq; compleuere Finni
Gens gelidâ reuocata ab arcto.
Iamq; & tubarum clangor, & æneis
Fragor balistis, tympanaq; & furor
Vellent, pauorem per secretas
Posse aditum reparare fossas.
Terrore vinci non potuit locus,
Inuicta virtus quem Superûm pio
Fauore flectit, quem potenti
Martis honor, Pietasq; dextra
Fixum tuentur. Scilicet ad minas
Fraudes dolosq; iungere iam placet?
Et melle delibuta dulci
Spargere peruigiles venena?
Promissa vanis picta coloribus,
Sub luce veri euanida diffluunt,
Solisq; vultus irretorto
Corripiunt radio fugacem
Falsi nitorem. Nulla sub hosticis
Fomenta Castris, & Pietas nocet
Pallens veneno quam coacto
Insimulat mala Sors Gradiuo
At ô sinistrâ (sic placitum Polo)
Quid hic morarum ducitis alite?
Quid concatenato, furore
VIRGINEI pia CASTRA Montis
Stipatis? an non magna per obuios
Strages maniplos? Sanguine non leui
Redemptus aspectus Sacratæ
Arcis erit? Reserata toruo.

 Errore

Errore tellus, non bibit Hosticum
Tumens cruorem? quando ZAMOSCIVS
Vir cultus armorum patenti
Sole super, medioq; cœlo,
Spectante, pulchro feruidus impetu
Egressus arcem, quos vigiles prius
Sors atra protrusit, seuero
Ense metit, vacuosq; riuos
Tabo refudit. Nonne per arduos
CZARNIECIANI pectoris indoles
Effulsit ausus? (ô iuuentæ
Egregium decus & venustas)
O si tot annos viuere Cœlica
VIRGO dedisset, quot Gothicos manu
Mactasse narraris Polonâ,
Et proprio tumulasse ferro
Heròs. heu! sed Virgo Dei PARENS
Post iam fugatos MONTE suo Suecos
Laudis redonatura lauru
Te Superûm decorat Coronâ.
Sed mentis ardor, sed vigor igneus,
Suecoq; dispar pectoris impetus
Fatalis æternabit, & consanguineos rediuiuus artus
Fratris peruret. nec sine Numine;
Ille & Suecorum frangere pertinax
Densas cohortes, & seuero
Vindicias properare fato
Vrgebit. Ille & sæua pericula
Procul Polonis finibus eximet:
Balthimq; confundens, pudendâ
Classe iterum remeare tardam

Coget

Coget Stocholmum: quos humilis fuga
Turpisq; vindex perfidiæ, metus,
Et densa per naues suorum
Funera, militiæq; cinget
Pars magna fractæ: nec miserabilis
Luctus recedet, qui lacrymas Mari
Affundet, & Suspiriorum
Ingemitu, geminabit auras.
Ergo beatis cincta cohortibus
REGINA Cœli. Virgineos age
Per Astra currus, & triumphis
Conde tuos animosa Fastos
Seruata Sanctis auspicijs, Tibi
Supplex Poloni Gloria nominis
Procumbit, & ponit Trophæum.
VIRGO Tuo radians fauore.
At Tu benignâ luce serenior
A Monte Claro prospice: nec diu
Morare Pacem, sed virenti
Fac redeat speciosa Oliuâ.
Hac me canentem CORDECII vigor,
Et Suada dulci blandior impetu
Adduxit. AVGVSTINE quantùm
Corde potes, potes ore tantùm.
Te firma virtus, & solidi integer
Amor Decori, Fortibus asserit.
Arcemq; defensam MARIÆ
Te Duce, suspiciunt & Hostes.
Sed eruditæ vis Sapientiæ
Cultusq; prono flumine blandior
Accenset Astris; te loquentem
Mente auidâ releget vel Orbis.

In Auto-

In Autoris Librum.

AVGVSTINE paras cœlis incendia corde
Flammigerum quando pectus in astra leuas.
Spicula KORDECKI pia torquet, in ardua cordis
Cum premit hostiles, flammeus ipse faces
Virginis excelsæ castrum simul ardet amorem,
Illius in Montem dum benè facta canit.
Quæ Sueci sacris dederunt incendia tectis,
Colligit, & calamo promptus in astra leuat.
Sic AVGVSTINI flammis rutilant, tamen illud
Discrimen nobis, inter vtrumq; datur.
AVGVSTINE capis de cœlesti arce sagittas
In cœlum ignitos proiicit iste globos.

Anagramma.

AVGVSTINVS CORDECCIVS
SVCCVS IN CORDE GVSTAVI.

GVstauus quando Carolus Montem subit almum,
Vt locet in sacrâ celsa trophæa domo.
GVSTAVI SVCCVS latitas IN CORDE; sed ecce?
Colchicus an melior? res bene gesta docet.

Aliud.

Aliud.

TV SVECCO DVRVS AC IGNIS.
DVRVS ES AC IGNIS TV SVECCO quando rotata
Tormenta in Suecos, scribis & ipse canis.

Fr. Petrus Lasota, Ordinis Sancti
Pauli Primi Eremitæ Professus
Presbyter.

Hist. Polon

6, 7per